UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Homine Corrvpto et Instavrato

**Chamier, Daniel**

**[Frankfurt], 1627**

Liber decimusquintus, De operum necessitate

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-885

Visual Library

*nihilominus ipſe redonat.* Nihil mihi quidem eſſe poteſt diſertius. Condonat peccata, hæc non negatur eſſe mera gratia. Rurſus donat merita: conſentiunt aduerſarij. Sed etiam ita datis meritis redonatur præmium. Quid eſt *redonatur?* Nempe nouo munere donatur, adeo vt diſtincta ſit donatio operum, & donatio vitæ. At ſi propter opera, id eſt, ex merito operum obtineretur vita, omnino vna eſſet donatio, quomodo ſi mihi diues aliquis donet aliquam pecuniæ ſummam, vnde ego lucrum multiplicem, donauerit ille mihi ſane hoc lucrum, ſed non redonauerit, nimirum eo tantum donarit, quia ante pecunias illas. Quare neceſſario Bernardo alia mens fuit, quam Bellarmino.

XXVIII. Iterum attende ſeriem orationis. Vt illud tertium probet, de donata vita æterna: *Iam vero,* inquit, *de æterna vita ſcimus, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, nec ſi vnus omnes ſuſtineat. Neque enim talia ſunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Nam, vt taceam, quod merita omnia Dei dona ſunt, & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quam Deus homini, quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique, quis melior eſt Propheta, cui Dominus ipſe tam inſigne teſtimonium perhibet, dicens, Virum inueni ſecundum cor meum? Veruntamen & ipſe neceſſe habuit dicere; Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine. Nemo igitur ſe ſeducat, quia, ſi bene cogitare voluerit, inueniet proculdubio quod nec cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe.* Habes hic diſtincte tria argumenta, quibus probat neminem operibus poſſe promereri vitam æternam. Primum, quod ipſa opera ſint ex Dei gratia, & hoc quidem obiter. Vt taceam, inquit, quod merita Dei dona ſunt. Et tamen hoc ſolum Bellarminus obſeruandum putauit. Nimirum magno eius cauſæ emolumento: cætera oportuit diſſimulata, quæ omnino melius nunquam fuiſſent prolata, eſt merita congrua eſſent ſtabilienda. Sed alterum Bernardi argumentum ſi ab inæqualitate maxima operum & præmiorum, tertium ab imperfectione iuſtitiæ propter hærens peccatum. Hoc autem vtrumque argumentum verum eſt, & neceſſarium, non in operibus tantum noſtris ante gratiam, ſed omnino omnibus, imo tertium, duntaxat in iis quæ poſt gratiam, antequam non imperfecta, ſed omnino nulla eſſe poteſt iuſtitia. Quare ſenſus eſt Bernardi, etiam ſuppoſita gratia & promiſſione, tamen non deberi meritis vitam æternam.

XXIX. Merita noſtra non eſſe ex nobis, ſed ex miſericordia Dei. Itane? hoc Bernardus? Hoc tantum Bernardus? O Jeſuitæ! Sed reprimo. Audi Bernardum, *Maiorem miſerationem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Meum proinde meritum, miſeratio Domini. Non plane meriti ſum inops, quamdiu ille miſerationum non fuerit. Quod ſi miſericordiæ Domini multæ, multis nihilominus ego in meritis ſum. Quid enim ſi multorum ſim mihi conſcius delictorum? Nempe, vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Hic mihi tu duo nota. Primo confidentiam, dum ſe certiſſimum proponit ſibi abundare merita. Non igitur ea, quæ ex gratia fluunt opera: nam hæc adeo non eſt certa abundantia, vt Bellarminus ipſe confugere cogatur ad incertitudinem gratiæ, ad ignorationem meritorum, ad humilitatem. Secundo, cum huic meritorum confidentiæ obiici ſibi ſentit multitudinem peccatorum, tum opponere gratiam abundantem, vbi abundet peccatum. Quid abſurdius, quam ſimul confiteri abundantiam ſuorum peccatorum, & iactare abundantiam ſuorum meritorum, ſuorum, inquam, operum? Adde illud ex ſerm. 23. in Cantica, *Non peccare Dei iuſtitia eſt, hominis iuſtitia, indulgentia Dei.*

XXX. Sed erat illud fortaſſe ex humilitate ignorante ſua merita, erat ex incertitudine gratiæ. Propudium! Imo, inquam, ex ſerio ſenſu ſuæ corruptionis, ex certitudine iniuſtitiæ. Audi eundem ex ſerm. 27. in Cantica, *O ſolus vere beatus, cui non imputauit Dominus peccatum. Nam qui non habuerit peccatum, nemo. Omnes enim peccauerunt, & omnes egent gloria Dei. Quis accuſabit tamen aduerſus electos Dei? Sufficit mihi ad omnẽ iuſtitiam ſolum habere propitium cui ſoli peccaui. Omne quod mihi ipſe non imputare decreuerit, ſic eſt quaſi non fuerit. Non peccare Dei iuſtitia eſt, hominis iuſtitia indulgentia Dei.*

*FINIS LIBRI DECIMI QVARTI.*

# LIBER DECIMVSQVINTVS.

## *De*

# OPERVM NECESSITATE.

### Caput Primum.

### *DE NECESSITATE OPERVM SECVNDVM EFFICIENTIAM.*

DE Operum Neceſſitate diſputantes legi, Bellarminum de Iuſtificatione libr. 4. capitibus primis nouem, & ei oppoſitum Paræum. Item, Salmeronem ad Galatas, diſputat. 14. Becanum, Opuſcul. 6. Tom. 1. cap. 2.

II. Becanus à ſuis ſcripſit doceri, Opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, ac neminem ſaluari poſſe, niſi qui legem obſeruarit. Nimis inconſiderate: nam hæc profecto definitio omnibus infantibus præripit ſpem omnem ſalutis. Itaque, Bellarminus prudentior, cap. 7. *Intelligimus,* inquit, *hoc eſſe neceſſarium hominibus rationis vſum habentibus, & qui tandiu poſt adeptam remiſſionis gratiam ſuperuiuant, donec occaſio legis implendæ occurrat. Non enim negamus, quin infantes, & etiam adulti recens baptizati ſaluentur, ſi continuo ex hac vita decedant.*

III. Gemina ergo exceptione Bellarminus Becani ἀκρισίαν corrigit, vna infantium, altera adultorum ſubito poſt Baptiſmum morientium. Quarum illam quidem nos admittimus, hanc vero non item, & perſuaſiſſimum habemus adulto nulli prodeſſe Baptiſmum, abſque vllo bono motu conſcientiæ, iam credentis, quod ipſum opus eſt, poſtulantiſque Baptiſmum & iam reipſa ſubiicientis ſeſe legi Dei. Nam, etſi non requirantur ſemper externa opera, quæ propter varia impedimenta præſtari non poſſunt, tamen, non propterea nulla opera non putamus. Sed hæc pars pendet ab alio Papiſtico dogmate, de efficacia Baptiſmi ex opere operato, quam nos ſuo loco excutiendam relinquimus.

IV. Eſto ergo iam ſemel contracta theſis de neceſſitate operum, vt pertineat ad ſolos adultos. Sed & neceſſitatem explicans Bellarminus, geminam conſtituit, præſentiæ nimirum, & efficientiæ. Illa ſignificari duntaxat neceſſe eſſe, eum, qui ſaluandus ſit, bene operari, hac vero amplius, videlicet, etiam cauſam neceſſitatis: nempe, quia ſalutem bona opera efficiant. A ſuis porro ſtabiliri vtranque neceſſitatem, aſſerentibus, Bona opera homini iuſto eſſe neceſſaria ad ſalutem, non ſolum ratione præſentiæ, ſed etiam ratione efficientiæ, id eſt, non tantum vt cauſam ſine qua non, ſed etiam, vt vere cauſam ſalutis.

V. At Catholici ſeparant: Et neceſſitatem efficientiæ negant. Eſſe enim impoſſibile vitæ æternæ cauſam veram vllam eſſe in bonis operibus. Itaque, Bernardum audiunt libro de Gratia, & Libero Arbitrio, *Si proprie appellentur ea quæ dicimus noſtra merita, ſpei quædam ſunt ſeminaria, charitatis incentiua, occultæ prædeſtinationis indicia, futuræ felicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi.* Sed hæc controuerſia proprie pertinet, partim ad merita iam diſputata, partim ad Iuſtificationem, cui poſt opera locum nos meminimus aſſignare. Quare hic nihil niſi aduerſariorum argumenta perſtringemus, quibus hanc efficientiæ neceſſitatem ſe ſperarunt confirmaturos.

VI. Primum Bellarmini argumentum: Si promiſſio vitæ æternæ eſt conditionata, ergo opera ſunt neceſſaria neceſſitate efficientiæ. Probatur conſequentia, primo, quia neceſſe eſt impleri conditionem, ſi qui ſaluus fieri velit, ſecundo, quia ſi iuſtus non eſt liber ab obligatione legis, certe niſi eam impleat, non ſaluabitur.

VII. Reſpondeo, negari conſequentiam. Nam quia conſenſum eſt, aliam eſſe neceſſitatem præſentiæ, aliam efficientiæ, non ſequitur, quicquid neceſſarium eſt, eſſe etiam neceſſarium neceſſitate efficientiæ, alioquin diſtinctio eſſet fruſtranea. Poſita autem conditione, concedimus ſequi neceſſitatem aliquam, nimirum præſentiæ. Et eo pertinere, vtramque confirmationem conſequentiæ. Vt ſi quis iter aggredienti dicat, neceſſe eſſe ſoleas inducere, ea neceſſitas non ſignificat ſoleas conficere iter, ſed tantum eſſe cauſam, ſine qua non conficiatur.

VIII. Secundum: Ad Hebr. 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt: vt facientes voluntatem Dei, reportetis promiſſionem.* Diſerte audimus neceſſitatem. Sed hanc eſſe neceſſitatem non ſolum præſentiæ, ſed etiam relationis ad ſalutem, inde arguit, quia dictum ſit, *vt reportetis promiſſionem*, ſicut cibus neceſſarius, vt nutriamur, aer, vt reſpiremus, veſtis, ne frigeamus.

IX. Reſpondeo: Nemo negat patientiam eſſe neceſſariam, ſed eſſe hanc neceſſitatem efficientiæ, hoc vero probandum fuit. Nos Sophiſtam ridemus, qui pro ea ſubſtituat relationem ad ſalutem, ſiue ad acquiſitionem ſalutis, quaſi hæc nulla eſſet in neceſſitate præſentiæ. Exempla cibi, aeris, veſtis, agnoſcimus apta ad ſignificandam neceſſitatem efficientiæ, ſed huic inſtituto negamus idonea, hæc potius: Calcei neceſſarij ad iter, veſtis nuptialis ad conuiuium.

X. Tertium: Prioris ad Timoth. 2. *Mulier ſeducta in præuaricatione fuit, ſaluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* En tibi conditio, ſine qua mulier ſaluari non poteſt.

XI. Ita eſt, inquam. Sed hæc conditio cauſæ eſt ſine qua non, ac proinde neceſſitatis, ſecundum præſentiam, minime vero cauſæ efficientis. Illam nos concedimus, hanc oblitus eſt Sophiſta ſibi probandam.

XII. Quartum: Ad Philip. 2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Si actiones bonæ ſalutem operantur, non ſunt neceſſariæ ſolum ratione præſentiæ, ſed etiam efficientiæ.

XIII. Valeat ſane conſequentia, ſed vnde habeat Sophiſta bonas actiones ſalutem operari? Non enim ita Paulus, ſed potius, *Vos operamini.* Quis autem tam lolio victitat, vt pro eodem ſumat, Vos operamini, & actiones bonæ operantur? Imperatum olim, vt ſuccinctis renibus Judæi comederent Paſcha. An dicat quis, ipſos renes ſuccinctos comediſſe? Cæterum alias docuimus, Operari ſalutem, idipſum eſſe, quod occupare ſe in iis, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, id eſt, ſine quibus ſalus conſtare non poſſit.

XIV. Quintum: Poſter. ad Corinth. 7. *Triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Hæc ratio eſt efficientiæ.

XV. Certe, inquam, efficientiæ: at non eius quam quærimus: nempe eius rei quæ efficiat ſalutem. Nam Paulus ſcripſit, Triſtitiam efficere, non ſalutem, ſed, pœnitentiam, & hanc pœnitentiam eſſe εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον.

λειν. Sunt autem ad ſalutem, etiam ea ſine quibus non obtinetur illa: quomodo in Euangelio veſtes dicuntur nuptiales, quæ tamen nuptias non efficiunt.

XVI. Sextum: Poſter. ad Corinth. 4. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupramodum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ergo relatio eſt aliqua inter patientiam & ſalutem.

XVII. Quis neget? Nam etiam cauſa ſine qua non, habet relationem aliquam ad ſalutem. Itaque Sophiſta hic, vt alias, oblitus eſt quæſtionis. Cæterum omnibus cauſis aſſignatur ſua efficientia, neque enim aliter in cauſis locum obtinerent. Et hęc efficientia generaliter ſignificatur per κατεργάζεσθαι etiam in cauſis ſine quibus non, quæ tamen proprie nihil agunt in ipſo effecto. Probo exemplis. Ad Roman. 4. ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, *Afflictio tolerantiam operatur.* Hoc quid ſit, explicabit nobis Benedictus Iuſtinianus Jeſuita, ne ſi quem virum bonum autorem laudauerim, ſuſpectum habeant Jeſuitæ: *Tribulatio ipſa per ſe non eſt effectrix patientiæ: ac ne impatientiæ quidem, ſed alterutri pro hominum conditione materiam præbet.* Itaque, Pauli verba vertens: *Oppreſſionibus patientiam comparari.* Pererius accedet, *Tribulatio patientiā operatur, non quod tribulatio ſit efficiens cauſa patientiæ, ſed quod exercendæ patientiæ occaſio & materia ſit.* Salmero, *Afflictio ſuapte natura non effectrix patientiæ directe, ſed impatientiæ potius, & indignationis, & maledicentiæ, vt videmus in incredulis: at in fidelibus eſt materia exercendæ patientiæ, & roborandæ, quemadmodum copia rerum, materia eſt liberalitatis exercendæ. Nam veluti in belli conflictu augeri ſolet fortitudo bellantium, ita patientia in fornace tribulationum perficitur.*

XVIII. Similiter ad Rom. 4. Ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται, *Lex iram operatur: Quia* (inquit Iuſtinianus) *dum lex præcipit quid faciendum ſit, prohibetq; contrarium, neq; vllum ad recte laudabiliterque viuendum gratiæ ſubſidium affert, occaſionem ac veluti materiam peccandi præbet, atque ita reos iræ atq; damnationis homines conſtituit.* Salmero, *Nequaquam legem immediate efficere ex natura & qualitate ſua, tanquam ſit cauſa efficiens, ſed per occaſionem, quia ſi lex non eſſet data, non eſſet per legem aucta præuaricatio, & pœna, quia tollit omnem excuſationis prætextum lex cognita, & per tranſgreſſionem violata.*

XIX. Quid plura? *Neque mireris* (addit Salmero rem definiens) *de verbo illo operandi, multa enim dicuntur aliqua efficere, non per ſe, ſed per occaſionem. Vnde & Chriſtus dicitur poſitus in ruinam multorum in Iſrael & in lapidem offenſionis, & petram ſcandali, his qui non credunt, & Apoſtolus non ſolum eſt odor vitæ in vitam, ſed etiam mortis in mortem, & ſimili ratione, capite ſeptimo ait, Peccatum, occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Et alio loco, Virtus vero peccati lex, quaſi lex præciperet peccatum, cum tamen officium præcipiat, & nos occaſione ſumpta, quia nitimur in vetitum ſemper, virtutem facimus peccatum.*

XX. Manifeſta iam res eſt. Nam efficere, vt dicebam, late patet, & tribuitur, non tantum cauſis efficientibus, ſed etiam cauſis per accidens, cauſis ſine quibus non, denique, cauſis nihil proprie efficientibus. Quare etiam cauſis, quæ propter ſolam præſentiæ neceſſitatem cauſæ dicuntur. Quod ſi eſt, tum vero etſi ſignificetur iis Pauli verbis, aliqua relatio inter tribulationem, & pondus gloriæ, non erit tamen neceſſe, concedi relationē efficientiæ. Denique, Iuſtinianus in paraphraſi huius loci, dixit, *Efficere quodammodo*, vt improprietatem vocabuli indicaret.

XXI. Septimum: Ad Rom. 8. *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* His verbis cauſam ſignificari probatur ex particula conditionali, deinde, ex antitheſi, quia præceſſit, *ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* non poteſt autem dubitari, quin ſecundum carnem viuere, ſit vera cauſa mortis æternæ.

XXII. Reſpondeo, cauſam quidem ſignificari, ſed non efficientem. Nam phraſin eſſe communem omni generi cauſarum, etiam per accidens, & ſine quibus non, copulam ſignificare quancunque neceſſitatem conſequentiæ, quod ne pueris quidem ignotum. Si pluat, arabit agricola. Si ſudum ſit, deambulabit Philoſophus. Si flet Auſter, continebit ſe domi Medicus. Et infinita huiuſmodi, quæ cur non attendit, non conſiderauit Bellarminus?

XXIII. Nec maius momentum in antitheſi, quia ſufficit vtrinque neceſſitas conſequentiæ, etiamſi in modo aliqua ſit diuerſitas. Certum eſt, æq; eſſe verum, Si facta carnis quis mortificet, victurum, vt verum eſt, ſi ſecundum carnem vixerit, moriturum. Sed eandem eſſe vtrinque rationem conſequentiæ, non eſt neceſſe. Si ignauiter pugnent milites, ducentur in captiuitatem, ſi fortiter, erunt liberi. Vtrumque verum: at non eodem modo, quia fortis pugna non efficit, ſed tantum tuetur libertatem: at ignaua, non tuetur, ſed efficit captiuitatem. Seruus ſi imperata non faciat, dabit pœnas: at ſi faciat, nihil meretur.

XXIV. Octauum: Ad Roman. 8. *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Exiſtimo enim, quod nō ſint condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam.* Cauſam hoc loco indicat, tum particula, tum exceſſus gloriæ ad paſſiones. Nam, ſi nullam haberet patientia tribulationum relationem ad ſalutem, fruſtra diceret, *Exiſtimo quod non ſunt condignæ.* Iſta enim collatio manifeſte declarat eſſe aliquam vim in opere patientiæ, ad acquirendam illam gloriam.

XXV. Reſpondeo, nihil noui, ſed idem quod prius, nullam ſignificari cauſam efficientem. Neque hic aliam eſſe vim particulæ, etſi millies Bellarminus aſſerat. Relationem aliquam, miror toties inculcari, quæ tamen non fuit in theſi, imo ſupponi pro neceſſitate efficientiæ non patior, quia, vt dixi, etiam neceſſitas præſentiæ eſt aliqua relatio.

XXVI. Vim acquirendi gloriam ſignificari, ne hoc quidem negauerim, quandoquidem cuilibet cauſæ ſua vis eſt. Sed vim efficientiæ ſignificari à Paulo conſtanter nego. Contrarium enim conſtat ex inæqualitate, ſiue diſparitate. Id enim communis ſenſus habet, poſita pretiorum diſproportione, negari acquiſitionem. Sic regnum Galliæ negabitur acquiri poſſe omnib. theſauris Jeſuiticis, etſi hi iam inter ipſos Papiſtas inuidiam ſuſtineant.

XXVII. Nonum: Ad Roman. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem,* Ergo non ſufficit ad ſalutem fides, niſi acceſſerit externa confeſſio.

XXVIII. Quorſum hoc? Non enim concluditur theſis. Docetur duntaxat neceſſitas: at non docetur efficientia. Illam nos non negamus, quatenus præſentiam ſignificat, hanc impugnamus ſolam. Hanc probet, aut taceat Jeſuita.

XXIX. Decimum: Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* Certe, inquit, ratio reddita luculenter oſtendit, opera bona eſſe aliquomodo cauſam æternæ ſalutis.

XXX. Certe, inquam, Bellarminus ſemper φλυαρεῖ, non concludit theſin. Nos enim cum admittimus neceſſitatem præſentiæ, concedimus cauſam ſine qua non, ideoque aliquo modo cauſam, ſed ille volebat cauſam efficientem, id eſt, neceſſitatem efficientiæ, quæ tamen in toto argumento nulla eſt. Ratio autem reddita intelligi debet, poſitio conditionis: Si bene operemini, poſſidebitis vitam æternam. Nunc, vos poſſidete vitam æternam: At hoc non debuit, niſi poſita conditione; ponitur ergo, cum dicitur, *dediſtis mihi manducare.*

XXXI. Vndecimum: Jacob. 1. *Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* At quomodo, ſi facta nullam habeant relationem ad beatitudinem, ſed ſolam præſentiam otioſe exhibent?

XXXII. Imo, quodnam, aut vnde illud monſtrum eſt, otioſæ præſentiæ? Itane ſuam præſentiam otioſe exhibet cauſa ſine qua non? Aut hoc vnquam ſanus aliquis dixit? Imo ne ſigna quidem quiſquam dixerit otioſa, quorum tamen nulla eſt efficientia.

XXXIII. Duodecimo nobis loco eſto Becani ratio, quam efficacem dicit. Deus in Scripturis indicat ſe velle, vt legem ſeruemus. Vel ergo ſerio vult, vel ioco. Si ſerio: Ergo tenemur, ſi ioco, cur punit?

XXXIV. Anathema, quicunq; ioco dixerit. Ille enim eadem opera ſuſtulerit æqui diſcrimen, & iniqui. Serio ergo, neq; vero quicquam magis ſerio. Ergo, inquit, tenemur eam ſeruare. Omnino, inquam. Et ſi negantem quemquam viderit Becanus, oppugnare per nos licebit. Sed quum aduerſum nos ſtylum exercebit, abſtineat hoc labore, ne ſe ridendum propinet.

XXXV. Sed & Bellarminus argutatur: Si fides ſola ſaluaret, & opera non eſſent neceſſaria, niſi ratione præſentiæ, vt fructus & ſigna fidei, ſequeretur, fidem ſaluare poſſe, etiamſi careret omni bono opere, & coniuncta eſſet omnibus vitiis, & peccatis. Hoc autem conſequens eſt manifeſte falſum, & Scripturis ac rationi repugnat. Igitur fides ſola non ſaluat, & neceſſaria ſunt opera bona, non ſolum ratione præſentiæ, ſed etiam ratione efficientiæ. Probat conſequentiam: Si opera non requiruntur in actu ſaluandi, niſi per accidens: Ergo, iis ſublatis, fides ſaluaret. At, ſi ſola fides ſaluet, & opera non ſunt neceſſaria, niſi ratione præſentiæ, opera non requirentur in actu ſaluandi, niſi per accidens: Ergo, his ſublatis, fides ſaluaret. Probatur aſſumptum, quia opera nullam ipſa vim ſaluandi habent, neque addunt fidei, neque tollunt vim ſaluandi. Quemadmodum, quia ignis ſolo calore calefacit, ſi tollerentur ab eo omnes aliæ qualitates, quæ per accidens ſunt cum calore coniunctæ, adhuc, ſine dubio, calefaceret, & quoniam pater ſola relatione paternitatis refertur ad filium, ſi ab eo, qui pater eſt, omnia alia attributa remouerentur, vt ſcientia, nobilitas, poteſtas, ſanitas, pulchritudo, & contra adderetur ignorantia, obſcuritas, debilitas, ægritudo, deformitas, & ſola paternitas remaneret; adhuc pater ille referretur ad filium. Ita prorſus, ſi Chriſtianus per ſolam fidem ſalutem apprehendit, atque ad eam refertur, ſequitur, vt manente fide ſaluari poſſit, etiamſi nulla habeat opera bona, & multa habeat opera mala.

XXXVI. Reſpondeo, conceſſa aſſumptione, negari conſequentiam. Nam hæc omnino contradictionem implicat. Si enim ſine vllis operibus fides ſaluare poſſet, ergo opera non eſſent neceſſaria, ratione præſentiæ. Quomodo in generatione filij nemo vnquam dixit neceſſarias eſſe ratione, ſiue efficientiæ, ſiue præſentiæ, eruditionem, nobilitatem, & quas deinceps Bellarminus enumerat. Etenim neceſſarium eſt, quod aliter ſe habere non poteſt. At aliter ſe habet ſalus, ſiue, vt loqui mauuit Bellarminus, actus ſaluandi, cum operibus, & aliter ſine operibus, quare omnino abſurde dicerentur, bona opera neceſſaria. Et vero longe alieniſſimum à ratione, in eodem argumento eandem hypotheſin & ponere & tollere.

XXXVII. In conſequentiæ probatione, rurſus nego conſequentiam. Et hanc omnino deſertam Bellarminus reliquit, ſophiſticem exercens in probando antecedente. Ratio negandi vt conſtet, prius notandum, dupliciter aliquid adeſſe per accidens: Vel, vt, adeſſe poſſit & abeſſe indifferenter, vel vt adſit non immediate, ſed propter aliud. Priori modo concederetur conſequentia, quomodo paternitati ita per accidens adeſt eruditio. Atqui in hoc ordine conſtitui non poſſunt opera bona, niſi deſtruatur ipſa hypotheſis, vt dixi, quæ neceſſitatem ponit.

XXXVIII. Altero modo, poſſunt quidem nonnulla etiam adeſſe & abeſſe, ſed non omnia tamen, quia etſi adſint per accidens rei propoſitæ, id eſt per aliud, tamen huic ipſi per quod adſunt, neceſſaria ſunt. Sic Iſaaci hominis, ac proinde rationalis, oportet genitorem eſſe rationalem. Ita huic generationi ratio eſt neceſſaria, etſi per accidens, nimirum per aliud: Non enim adeſt ratio generationi per ſe, & ex ipſa generationis natura: Sed adeſt tamen huic generationi neceſſario. Si enim non fuiſſet Abrahamus rationis capax, non fuiſſet homo, ac proinde neque hominis pater, ideo ne Iſaaci quidem. Porro nos opera negamus eſſe in ordine eorum, quæ vtroque modo, & per ſe, & per aliud, ſint mere accidentaria actui ſaluandi (vt phraſi vtar Bellarminiana) eo tantum quod per aliud, nimirum per fidem, ſed huic ipſi fidei neceſſario & per ſe.

XXXIX. Breuiter: Actui ſaluandi neceſſaria eſt fides: At fidei neceſſaria ſunt bona opera, Ergo actui ſaluandi neceſſaria ſunt bona, ideoq; non eatenus adſunt actui ſaluandi per accidens, vt perinde adeſſe & abeſſe poſſint. Itaque illud etiam falſum, neq; addere, neq; adimere fidei vim ſaluandi: nam quandoquidem ſine operibus nulla fides ſaluat, certe ſi non addunt cum adſunt, ſaltem cum abſunt, tollunt vim ſaluandi. Ideoque diſſimilia ſunt exempla ignis, & paternitatis.

XL. Sed, quod nos negamus poſſe ſeparari fidem à bonis operibus, id primo falſum Bellarminus pertēdit, & ita alias probaſſe: Deinde inutile, quia ſaltem ratione ſeparari poſſit, cum illa ſine his intelligi queat. Hoc vero ſibi ſufficere.

XLI. Sed de primo nos etiam diſputauimus, & Bellarminum potenter confutauimus. In ſecundo, concedimus diſtingui poſſe, & intelligi fidem, ſine operibus. Sed hoc ſatis eſſe, vt inde fiat concluſio, ergo conſtare ſalutem ſine operibus, hoc vero Chorœbi ſomnium eſt. Nam hæc rationis ſeparatio

vniuerſalis eſt cauſis omnibus ſine quibus non, quæ tamen non eſſent eiuſmodi, ſi ſine iis eſſe poſſet effectum. Vt; intelligi quis neget poſſe paternitatem Abrahami ſeorſim à ratione? Et tamen ſine ratione non fuiſſet Abrahamus pater Iſaaci. Quis neget, ſine motu intelligi poſſe calorem? Et tamen multis in rebus calor nullus ſine motu. In viatore, nihil vetat quominus abſque vlla reciprocatione ſpiritus, intelligatur iter, ſed, vt conficiatur iter ſine reciprocatione ſpiritus, fieri nō poteſt. Quid? quod intelligi poteſt & domus, & nauis, abſque vlla architecti cogitatione. & tamen eſſe domus nulla, nulla nauis poteſt abſque architecto.

XLII. Nimirum non ſequitur, re ſeparari, quæcunque cogitatione diſtinguuntur. At cum dicis conſtare ſalutem ſine operibus, tum non cogitationis diſtinctio eſt, ſed realis ſeparatio. Efficientiam tamen potes ſeorſim conſiderare, vt, etſi non generarit Abrahamus Iſaacum ſine ratione, tamen non generauit per rationem, non enim ratio cauſa eſt generandi hominem. Etſi nemo iter conficiat, ſine reciprocatione ſpiritus, tamen reciprocatio ſpiritus iter non conficit. Etſi nullus architectus domum ædificat, abſq; oculis, tamen oculi non ædificant. Ad eundem modum, etſi nemo ſaluetur ſine operibus, tamen opera nō ſaluant. Et inde noſtra, imo Scripturæ tam ſollicita cura, ne quis ſalutem tribuat operibus.

XLIII. Superſunt Patres, ſed in iis piget immorari, nemo enim eſt à Bellarmino inductus, qui neceſſitatem efficientiæ adſtruat, omnes vero neceſſitatem præſentiæ. Sic enim damnati, Simon Magus, iubens, teſte Theodoreto, *ſuos legis minas non pertimeſcere, ſed tanquam liberos facere quæ vellent*: Eunomius, apud Auguſtinum, *adeo bonis moribus inimicus, vt aſſeueraret, quod nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio, & perſeuerantia peccatorum.*

XLIV. Sic Clemens Stromat. 5. *Quando audierimus, fides tua te ſaluum fecit, non accipimus abſolute eos ſaluos futuros, qui quomodocunq; crediderint, niſi facta quoq; fuerint conſequuta.* Sic Ambroſius in 4. ad Hebr. *Feſtinemus ingredi in illam requiem. Feſtinemus, inquit, quoniam non ſufficit fides, ſed debet addi & vita fidei condigna. Opus eſt quippe, omni volenti cœlum poſſidere, fidem bonis operibus ornare.* Sic denique reliqui omnes: etiam qui dixerunt cum Clemente Stromat. 5. *Gratia ſaluantur, ſed non abſq; bonis operibus.*

## CAP. II.

### *De neceſſitate operum, calumnia Papiſtica.*

I. DE neceſſitate præſentiæ, id eſt, quum quæritur, vtrum bona opera ſint præſtanda iis, qui credentes in Chriſtum ſalutē ſperant & exſpectant, prolixior erit diſputatio. Sed primum amolienda calumnia.

II. Catholicis enim imponunt, Bellarminus, Negare operum neceſſitatem: Becanus diſertius, Docere opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, ſeu fideles non teneri ad obſeruationem legis, non teneri facere bona opera. Bellarminus ipſe, Videntur, inquit, omnino exiſtimare, poſſe hominem ſaluari, etiamſi nulla bona opera faciat, nec mandata diuina cuſtodiat.

III. Verum hæc iniuſta criminatio eſt. Nam Catholici diſtinctius agunt, neceſſitatemque operum nec ſimpliciter aſſerunt, nec negant ſimpliciter, ſed vtrumq; κατά τι. Obſeruationem legis aliam eſſe perfectam, aliam inchoatam. Illam, quæ nihil aut omittat agendum, aut admittat fugiendum, hanc vero, quæ ſibi ipſi diſplicens in violatione legis, ſerio affectu, etſi imbecillo, fertur ad eius obſeruationem, volens facere bonum quod non facit, & odio habens malum quod facit. Ad perfectam obſeruationem teneri docent Catholici, ex vi legis, omnes homines ſiue iuſtos, ſiue iniuſtos, & quidem propoſita maledictionis pœna, tum temporali, tum æterna. Verum fideles, quibus remiſſa peccata ſunt, ab hac maledictione eſſe liberatos: non ſublata tamen obligatione, ſed ſublato tantum obligationis rigore. Nam obligatio legalis damnat, abſq; exceptione, non ſatisfacientes: at obligatio Euangelica non damnat, ſed abſoluit.

IV. Cum ergo doceamus obligationem manere, tum vero docemus eo ipſo neceſſaria eſſe bona opera: nam obligatio eſt neceſſitatis ſpecies. Et qui obligationis neglectus pœnas exigit: Ergo qui eius rationem nullam habeat, hunc iuſto Dei iudicio puniendum, ideoq; non poſſe ſibi ſalutem polliceri. Neceſſaria eſſe igitur bona opera, non vt, ſi quid deſit, certa ſit deſperatio, ſed vt ſi nihil adſit, certa ſit damnatio.

V. Sic nos docere facilis probatio eſt. Primo, ex controuerſia de Nexu fidei, & Operum, diſputata iam lib. 12. vnde liquidum, nullam veram eſſe fidem, quæ non per charitatem operetur. Nam fidem nos ſane, & quidem veram, & credimus, & profitemur eſſe neceſſariam omni ſaluando, quomodo ergo poſſumus à ſaluando ſeparare bona opera? Hinc erant illa Confeſſionis Gallicæ verba, alias recitata, *Tantum abeſt, vt bene & ſancte viuendi ſtudium fides extinguat, vt etiam illud creet, & inflammet in nobis, vnde bona opera neceſſario conſequuntur.*

VI. Deinde ex liturgia noſtra. Nam in Baptiſmo infantium, in hanc partem cauemus diligentiſſime. Verba hæc ſunt ad eos à quibus offertur infans: *Eum præterea hortabimini, vt ad eam normam & regulā vitam ſuam inſtituat, quam nobis Deus in lege ſua præſcripſit.* Audin' normā & regulam? Audin' nobis præſcriptam? Quid amplius poſtulas? In liturgia Cœnę, ſolennis eſt excōmunicatio omnium violantium legem, *Hinc ego arceo & repello, atque hoc ſacroſancto myſterio interdico, omnibus idolorum cultoribus, impie & contumelioſe de Deo loquentibus, impiis & ſceleratis hominibus, numenq; contemnentibus, hæreticis, iiſq; omnibus, qui ſectas & hæreſes amplectuntur, quo vinculum & communionem Eccleſiæ perfringunt, periuris, contumacibus in vtrumq; parentem, ac ſuperiores, ſeditioſis, factioſis, ſicariis, concitis ad rixam, adulteris, ſtupris, furtis rapinæ auaritiæ, vino, gulæ, ventriſque vitio deditis, quicunque vitæ rationem ſequuntur flagitioſam, & offenſiones ac ſcandala parientem, iiſq; palam denuntio, vt ab hoc ſacroſancto conuiuio abſtineant, ne ſanctiſſimas epulas, quas Dominus ſolis ſuis domeſticis fidelibus parauit, fœde polluant atque contaminent.* Quorſum iſta, ſi nihil ad nos Decalogus pertineat, ſi perinde ſit bene an male viuamus? Vide hac de re prolixe Caluinum, Inſtitut. lib. 5. cap. 16. Vide extremo tractatu de Fide, Catechiſmum noſtrarum Eccleſiarum. Deniq;, Bellarminus agnoſcit clamare nos, iniuriam nobis fieri, cum dicimur bona opera tanquam non neceſſaria contemnere.

VII. Quid ergo? Satin' purgati ſumus? Imo vide immane κακόηθες, & extremam inhumanitatem Papiſtarum. *Aliud loquuntur*, inquit Bellarminus, *aliud ſentiunt.* Quaſi, aut hunc nos neceſſe ſit conſcientiarum iudicem agnoſcere, aut non ſatis tot tantæque controuerſiæ, ſuperq; teſtatam fecerint noſtram in profitendis noſtris ſenſibus παῤῥησίαν, quā neq; ignes, neq; cruces potuerint ſuffocare. Sed quandoquidem apud feros homines nihil illud poteſt, Inter bonos bene agier: retundamus impudentiam, & quæ argumenta proferunt noſtræ conuincendæ diſſimulationi, diſcutiamus.

VIII. Primum: Si bona opera ſunt peccata mortalia: Ergo non neceſſaria ad ſalutem. Becani conſequentia eſt, ratio conſequentiæ apud Bellarminum: Si ſunt peccata mortalia, & tamen propter fidem non imputentur, certe poterunt etiam mala opera propter fidem non imputari, ac per hoc non nocere, neque erit cauſa cur vitentur.

IX. Reſpondeo, ante eſſe diſputatum, quomodo bona opera ſint peccata. Nunc negamus conſequentiam: Quia neceſſitas pendet, non ab eorum perfectione, ſed à mandato Dei, quod irritum fieri non poteſt, quantumuis ſint exiguæ vires noſtræ. Itaque, hoc tantum ſequitur, non ſufficere ad ſalutem, imo, non mereri ſalutem, ſed non exigi, nemo ſanus Becano concedet.

X. In ratione Bellarmini, concedo, ſi bona opera imperfecta, id eſt, peccata, propter fidem non imputentur, poſſe etiam non imputari ipſa mala opera. Quanquam propter Chriſtum, malumus dicere non imputari, quam propter fidem, ne videamur fidei meritum aliquod condignum tribuere. Sed tamen, quia Chriſtus, nonniſi per fidem fit noſter, eſto, ſane dicamus propter fidem non imputari mala opera, tantiſper dum plenius hoc quid ſit, explicemus.

XI. Pergo: Si non imputantur, inquit, non nocent, ſi non nocent, nulla cauſa cur vitentur. Itane? Et ſic Bellarminus Theologum didicit? Quid igitur fiet remiſſioni peccatorum? Nam, ſi certum, nulla remiſſa peccata nocero, & quæ non nocent, non eſſe vitanda: Ergo blaſphemia Paulo nihil nocuit, fuit enim remiſſa. Fuitne non vitanda? Fuitne Petro non vitanda abnegatio? Dauidi adulterium, & homicidium? Denique, quandoquidem ne ipſi quidem Papiſtæ negant per Baptiſmum remitti omnia peccata; concedetne per Baptiſmum fieri, vt non noceant vlla peccata? Per Baptiſmum fieri, vt ne ſint vitanda vlla peccata? Aut, ſi hæ conſequentiæ ſint abſurdiſſimæ, quid ille nunc mentis habuit?

XII. Nos dicimus omnia peccata nocere, etiam ea quæ remittuntur. Imo non remitti, niſi noceant. Non efficiunt quidem, vt ne obtineatur ſalus, quomodo non effecit blaſphemia, non effecit abnegatio, non effecit adulterium, vt damnarentur Paulus, Petrus, Dauid, quia interceſſit remiſſio. Sed non nocere, inſanum eſt dicere. Nullum enim malum non nocet, quia nec malum eſſet, ſi non noceret. At peccatum etiam remiſſum, malum eſt, nec remitteretur, niſi malum eſſet. Itaque peccatum etiam remiſſum nocet. Hoc ſciuit Paulus. Paulus ille, qui certus de remiſſione peccatorum ſuorum, vel conſentientibus Papiſtis, certe ipſo profitente (ἀλλ' ἠλεήθην inquit) tamen exclamabat, *Miſer ego homo, quis eripiet ex iſto corpore mortis?* Potuit-ne miſer eſſe, ſi nihil nocuiſſet peccatum?

XIII. Si nocet, ergo cauſa eſt aliqua, cur vitari debeat, etiam ſi, inquam, non noceat ad mortem. Neque enim quilibet morbus interimit corpus, & tamen quemlibet morbum vitandum, vix credo Pyrrhonis ἀπάθειαν negaſſe. Quanquam habent fideles cauſam longe veriorem: *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Quia *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Præterea, remiſſio peccatorum non tollit prohibitionem legis: imo ponit neceſſario, quia, ſi tollas, eadem opera ſuſtuleris peccata, indeque ipſam remiſſionem. Iam ſi manet prohibitio, manat etiam cauſa vitandi peccati, vera, inquam, cauſa vitandi peccati. Itaque ex noſtra doctrina, quicquid latrent Ieſuitæ, neceſſaria manebunt bona opera.

XIV. Secundum: Si ſola fides ſufficit ad ſalutem, ergo reliqua ſunt ſuperuacanea.

XV. Reſpondeo, ſæpe à nobis auditum, ſola fide nos iuſtificari, ſed ſolam fidem ſufficere ad ſalutem, me nondum à quoquam noſtrûm audiſſe. Quod ſi cui tamen dictum, eo ſenſu ſine dubio dictum, vt ſignificaretur nos per ſolam fidem apud Deum fieri iuſtos, ſicut agnoſcit Bellarminus libr. 1. de Iuſtificat. cap. 12. *fidem ſolam iuſtificare, hoc eſt, nulla re alia iuſtificationem acquiri, vel apprehendi, niſi fide.* Et paulo poſt à Caluino doceri ſolam fidem iuſtificare, ſed non eſſe tamen ſolam, quomodo ſolis calor incendit, quamuis non ſit ſolus, ſed cum ſplendore coniunctus. Falſum eſt ergo à nobis doceri, ſolam, id eſt, ſolitariam fidem, & quæ nulla edat opera, ſufficere. Itaq; nihil niſi calumniam calumnia Becanus fulciuit.

XVI. Tertium: Si lex eſt impoſſibilis, quis ſaluus erit, ſi ſeruari debeat?

XVII. Abſurde. Nam impoſſibilis eſt lex impletu, non ſeruatu. Nemo vnquam impleuit, vno excepto Mediatore, ſeruarunt autem multi: Imo ſeruant omnes fideles, in quibus ille, Pſalm. 119. *Seruauit anima mea teſtimonia tua*, & 18. *Quia cuſtodiui vias Iehouæ.* Rurſus, ſic iſte argutatur, quaſi inter Chriſtianos, nullo numero, nullo loco gratia eſſet. At nos pronunciamus: Etſi impoſſibilis ſit lex, tamen multos ſaluari, nimirum, quia per legem nemo ſaluetur, ſed per gratiam.

XVIII. Quartum: Si Euangelium ſine conditione legis implendæ promittit ſalutem, neceſſe non eſt eam implere: Vel, vt mauult Bellarminus, certe qui nihil boni faciat, conſentanee ad Euangelium viuet.

XIX. Concedo Becani conſequentiam, ſed hæc nihil ad rem. Nam etſi non impleatur lex, tamen neceſſaria ſunt bona opera, quia hæc non implent, ſed tantum obſeruant legem. At Euangelium non promittit ſalutem abſque vlla conditione legis obſeruandæ, neque id noſtrûm quiſquam docuit, modo ne conditio pro merito ſumatur. Bellarmini conſequentiam nego: nam, qui nihil boni facit, non modo non implet legem, ſed ne ſeruat quidem: at omnino legem non ſeruare, non eſt vita Euangelio conſentiens. Neceſſaria itaq; ſunt bona opera.

XX. Quintū: Si homo iuſtus liber eſt à debito legis implendæ coram Deo, ergo omnia opera ſunt illi indifferentia, id eſt, nec præcepta, nec prohibita.

XXI. Negatur antecedens, iuſtus enim liber eſt à maledictione non impletæ legis, non autem à debito implendæ, alioquin non ſaluaretur per gratiam. Poteſt tamen etiam liber dici à debito, ſed tantum, quatenus debitum non exſolutum infert damnationem, adeo vt id pro non debito videatur eſſe, quod ſi non præſtes, non tamen damneris. Malim tamen ego quidem

hanc

hanc κατηχήσει vitare. Res autem perſpicua eſt. At quamuis quis liber ſit, vel à damnatione legis, vel etiam illo ſenſu à debito legis, tamen abſurda conſequentia eſt, omnia opera eſſe indifferentia.

XXII. Sed probat tamen antecedens Bellarminus. Primo, quia ſtatuamus legem impoſſibilem, vnde ſequi, ſi non tollatur eius debitum, omnes damnare. Secundo, quia Caluinus Inſtitutionis libro tertio, capite decimo nono, tribus in rebus libertatem Chriſtianam conſtituat. Primum, in eo quod, vbi fiducia iuſtificationis quæritur, nulla legis, vel operum ratio habeatur. Deinde, in eo, vt opera bona non fiant, tanquam examinanda ad regulam legis, ſed tanquam certo acceptanda à Deo, qualiacunque ſint. Denique in eo, vt omnium rerum externarum vſus habeatur pro indifferenti, ita vt homo nulla religione tangatur, ſiue eas vſurpet, ſiue relinquat. Et quis non videt (inquit,) quam lata porta ſceleribus & flagitiis omnibus pateſiat? Et quis ambigat, nulla eſſe opera bona neceſſaria ad ſalutem, ſi res omnes externæ, proinde etiam Baptiſmus & Euchariſtia, adiaphoræ ſunt, & nihil ad legis regulam examinandum?

XXIII. Sed de lege impoſſibili, facile ſatisfecimus, oppoſita gratia, quæ eos abſoluat, quos lex damnet, vt nihil neceſſe ſit propterea ſolui debitum legis implendæ. A primo Caluini capite, nihil ſequitur. Nam, etſi in fiducia iuſtificationis nulla habeatur ratio operum, tamen opera non ſunt indifferentia. Et contra, quamuis opera bona ſint neceſſario facienda, tamen in fiducia iuſtificationis, nulla eſt eorum ratio habenda. Nimirum, quia ex iis nemo iuſtificatur, vt ſuo loco diſputaturi ſumus.

XXIV. In cæteris capitibus, nihil eſt non calumnioſum, non malignum. In ſecundo, non examinanda opera ad regulam legis, nihil ad legis regulam examinandum, verba nulla ſunt Caluini: Verba ſunt Bellarmini, inuidiæ plena, propter ambiguitatem, qua ſolent abuti nequam Sophiſtæ in partem deteriorem: nam alioquin, agnoſco ſenſum habere commodum, ſi cum viris bonis eſſet negotium. Examinanda enim opera poſſunt intelligi, vel à nobis cum fiunt, vel à Deo, poſtquam ſunt facta. Examinanda ad regulam legis dum fiunt, ſiue, vt fiant, ſi quis neget, prophanus ſit & impius. Nam, quomodo lex eſſet regula? Itaque, nunquam hoc in mentem venit Caluino, & fallor tamen, ſi non hoc in mente habuerit Bellarminus, & in mentem venire voluerit lectori; vt impiæ licentiæ Caluinus inuidia grauaretur. Et vero ab hoc ſenſu illud vere eſt conſequens, patefieri latam portam ſceleribus: nulla eſſe opera bona neceſſaria: quibus tanquam abſurdiſſimis Sophiſta pugnat.

XXV. Sed ſi examinanda negentur bona opera à Deo, cum facta fuerint à fidelibus, hic vero ſenſus fuit Caluini, cum diceret, *Vt conſcientiæ non quaſi legis neceſſitate coactæ legi obſequantur, ſed legis ipſius iugo liberæ, voluntati Dei vltro obediant. Lex perfectam dilectionem exigens, omnem imperfectionem damnat, niſi rigore mitigato. Qui legis iugo adſtringuntur, ſeruis ſunt ſimiles, quibus certa in ſingulos dies opera à dominis indicuntur. Hi enim nihil effectum putant, nec in conſpectum dominorum venire audent, niſi exactus operarum modus conſtiterit: filij vero, qui liberalius, & magis ingenue à patribus tractantur, eis non dubitant inchoata & dimidiata opera, aliquid etiam vitij habentia, offerre, confiſi ſuam obedientiã & animi promptitudinem illis acceptam fore, etiamſi minus exacte effecerint quod volebant. Tales nos eſſe oportet, qui certo confidamus, obſequia noſtra indulgentiſſimo patri probatum iri, quantulacunq; ſint, & quantumuis rudia & imperfecta.* Hæc Caluinus, quæ rapere potuit Sophiſta in inuidiam, potius quam aut ſincere recitare, aut ſolide refutare.

XXVI. Hoc autem ſenſu poſita, poſita hac doctrina, negamus portam aperiri vllis flagitiis, negamus opera non fore neceſſaria. Non enim ſoluitur debitum legis præſtandæ, per fiduciam miſericordiæ. Quamdiu autem ſartum tectum illud eſt debitum, tamdiu manent opera bona neceſſaria, & porta omnis præcluditur ſceleribus.

XXVII. In tertio capite ſuperauit ſeipſam calumniatoris impudentia. Dixit Caluinus tertiam partem libertatis eſſe Chriſtianæ, *vt nullam rerum externarum, quæ per ſe ſunt ἀδιάφορα, religione coram Deo teneamur, quin eas nunc vſurpare, nunc omittere indifferenter liceat.* Calumniator fingit dicere, omnium rerum externarum vſum habendum pro indifferenti, ita vt homo nulla religione tangatur, ſiue vſurpet, ſiue relinquat. Geminata calumnia, primũ, quod ſpeciale enunciatum vertat in vniuerſale, quaſi omnes res externas cõprehendat in indifferentibus, cum ille cautius dixerit, res externas, quæ per ſe ſunt ἀδιάφορα: quomodo qui diceret, animalia quæ ſunt rationalia, homines qui ſunt fideles: & mille eiuſmodi, & explicarit ſubiectis exemplis, carnium, feriarum, veſtium, vt non poſſit non præfracta temeritas eſſe Ieſuitæ, Baptiſmum, & Euchariſtiam obtrudentis. En tibi dignos viros, quibuſcum de Religione agas!

XXVIII. Altera calumnia, quaſi dixerit Caluinus: *Vt nulla religione tangatur, ſiue vſurpet, ſiue relinquat*, qui tamen dixit, *vt nulla rerum externarum religione coram Deo, teneamur, quin eas vſurpare, aut omittere liceat.* Immane diſcrimen, nulla religione tangi, & nulla earum religione tangi, his enim verbis ſignificatur, religionem in ipſis iis rebus nõ eſſe conſtituendam, quaſi per ſe eſſent alterutrum tantum, vel licitæ, vt prohiberi non poſſint, vel prohibitæ, vt non permitti; cum illa latius pateant, & excludant etiam circumſtantias, à quibus religio interdum oriri poteſt, vt cum Paulus docet per ſe liberum eſſe veſci carnibus, ſignificat nulla carnium religione quenquam teneri, quominus carnibus veſci queat, ſed addens, abſtinendum tamen propter fratris conſcientiam, fieri poſſe inſinuat, vt aliqua religione idem debeat carnibus abſtinere, ea nimirum quæ per charitatem iubet nos ſeruire infirmitati fraternæ.

XXIX. Rurſus longe aliud, nulla religione tangi, ſiue vſurpet, ſiue omittat, aliud, nulla religione teneri, quin nunc vſurpet, nunc omittat. Nam hæc ſignificant nullam legem eſſe, quæ in alterutram partem generaliter definiat, vel nunquam vſurpare, vel nunquam omittere licere, illa vero nullam habendam religionis rationem, ſiue cum vteris, ſiue cum abſtines. Hoc vero abſurdiſſimum, ideo enim dicuntur ἀδιάφορα, quod pro variis circumſtantiis poſſint vſurpari, vel omitti. In circumſtantiis autem nullam eſſe religionis rationem, eſt prophanum. Sic olim Chriſtiani, etſi per ſe nunquam Deus prohibuerit acerræ thus imponere, tamen, magna cum fidei & conſtantiæ laude, mori maluerunt, quam thurificare, & thurificatos arcebat Eccleſia à communione: nimirum, quia in re per ſe indifferenti tum temporis religionis ſumma verſabatur confitendæ vel abnegandæ.

XXX. Iam vero, poſita hac indifferentium doctrina, nullum Bellarmini abſurdum ſequitur: Nam etſi nulla ἀδιάφορα fiant neceſſaria, tamen bona opera non deſinunt eſſe neceſſaria, vnde Paulus volebat abſtineri à carnibus propter ſcandalum fratris, indicans, etſi carnium vſus ſit indifferens, tamen ſcandalum fratris neceſſario vitandum. Rurſus etſi ἀδιάφορα maneant libera; tamen nulla flagitiis aperitur porta, quia nimirum flagitia non ſunt ἀδιάφορα. Exerceat ſe ergo Bellarminus, quantum volet tragicis clamoribus, nos & tragicum Sophiſtam ridebimus, & tragicum συκοφάντην exſecrabimur.

XXXI. Sextum. Probamus, inquit, ex vita & moribus Lutheranorum, qui occaſione huius doctrinæ cœperunt incredibili licentia in omnia ſcelera & peccata prorumpere.

XXXII. Redarguat te Deus, Satanas. Nos (quos libet Jeſuitæ Lutheranos appellare) ruere in omnia ſcelera, falſiſſimum. Hoc enim elogio ij digni ſunt, quorum deploratiſſima vita eſt, quique nullo ſenſu tanguntur boni & æqui. Agnoſcimus ſane multa inter nos peccata, etiam interdum ſcelera, ſed indignos tamen eſſe hoc diabolico opprobrio, res ipſa teſtatur apud omnes, quibus nos ſumus noti: nec eſt quod vereamur, ſi ſcelera ſceleribus comparentur, ne noſtra doctrina non longe præferatur doctrinæ Papiſticæ, & Ieſuitæ calumniatores appareant. Deniq; viuit Bellarminus, ſed viuit Romæ, hoc mihi ſatis eſt vltionis. Niſi forte quis excipiat, non iam cæpiſſe Papiſtas prorumpere in ſcelera, ſed iamdiu cœptum impetum conſummaſſe, adeo vt nulla altioris gradus ſpes reliqua facta ſit.

---

## Cap. III.

### *Status Controuerſiæ de diſcrimine Legis & Euangelij.*

I. PVrgata tam immani calumnia, deinceps neceſſitas operum eſt plenius explicanda. Hanc Bellarminus duobus comprehendit capitibus, vno de diſcrimine legis & Euangelij: altero de libertate Chriſtiana, & philoſophatur ad hunc modum de eo diſcrimine.

II. Primo, Euangelij homonymiam diſtingui, vt ſit, vel doctrina, quam Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt, quæque in libris Euangeliſtarum, aliiſque Apoſtolorum ſcriptis continetur. Vel gratia noui Teſtamenti, quæ lex in corde ſcripta, & ſpiritus viuificans, & lex fidei, dici ſolet. Porro hoc diſputationis capite Euangelium priori ſenſu intelligi, etiam à nobis.

III. Nos dicere, diſcrimen in eo eſſe, quod lex proponat iuſtitiam & ſalutem cum conditione totius legis implendæ: Euangelium vero promittat eandem ſine vlla conditione, ſed abſolute, vel certe cum ſola conditione fidei. Item, quod lex terreat, Euangelium conſoletur. At Papiſtas contendere eadem omnia, quæ nos ſoli legi tribuamus, Euangelio contineri, videlicet leges proprie dictas, comminationes, & promiſſiones.

IV. Itaque verum diſcrimen his articulis explicandum. Primum, quod lex ſit doctrina inchoata: Euangelium, perfecta. Secundo, illa data per Moſem tantum legislatorem, hoc vero per Chriſtum legislatorem & redemptorem, ideoque, qui eam accepiſſent tantum habere doctrinam, per quam dignoſcerent vitia a virtutibus, qui vero Euangelium, his præterea datam gratiam, per quam iuſtitiam diligerent, vitium odiſſent. Tertio, illa Judæis tantum, hoc omnibus gentibus. Quarto, illa vmbram & figuras, hoc corpus & veritatem habeat. Quinto, illa mutanda veniente Chriſto, hoc perpetuum. Sexto, illa non habens vim iuſtificandi, ſed hoc. Septimo, illa timoris & ſeruitutis, hoc amoris & libertatis. Octauo, illa grauiſſima & importabilis, huius iugum ſuaue & leue.

V. Hæc Bellarminus, ſed nihil, nobis quidem iudicibus, bene, & legitime. Nam primo graue peccatum, quod non, vt Euangelij, ſic legis homonymiam explicarit, non minus tamen neceſſariam. Sumi enim Legem interdum late pro vniuerſa religionis œconomia ante Chriſtum exhibitum, ſiue doctrina, quæ propoſita à Moſe & Prophetis, continetur in libris veteris Teſtamenti, alias vero longe contractius pro ea doctrina, quæ & operum iuſtitiam explicat, & ei iuſtitiæ ſalutem pollicetur, quo ſenſu opponitur Euangelio, negare nullus Theologus poteſt. Sunt enim in promptu loci non pauci in eam rem manifeſti.

VI. De legis priore ſenſu, Lucæ 16. *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Ioan. 10. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, Ego dixi, dij eſtis?* Et 12. *Nos audiuimus ex Lege, Chriſtum manere in æternum.* Et 15. *Vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, oderunt me immerito.* Ad Roman. 3. *quæcunq; lex dicit, iis qui in lege ſunt dicere.*

VII. De poſteriore autem: Actor. 13. *Notum ſit vobis fratres annuntiari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum, & ab omnibus à quibus per legem Moſis abſolui non potuiſtis, per hunc, quemuis, qui credat, abſolui.* Ad Roman. 3. *Ex operibus legis nulla caro iuſtificabitur in conſpectu eius, per legem enim agnitio peccati.* Ad Galat. 2. *Si per legem eſt iuſtitia, igitur Chriſtus ſine cauſa mortuus eſt.* Tertio, *Qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham: nam quotquot ex operibus legis ſunt, ſub exſecratione ſunt.*

VIII. Hæc duo neceſſario diſtinguenda ſunt. Nam Legis prior acceptio duo complectitur, videlicet Legem proprie dictam contracta illa ſignificatione, quam ſecundo loco poſuimus: & præterea fœdus cum Iſraelitis ſancitum, quæ non poſſunt confundi, vt poſtea patebit, cum ſingula Bellarmini diſcrimina conſiderabimus.

IX. Secundo, ne Euangelium quidem bene diſtinguitur: Certe non videtur huic cõtrouerſiæ quadrare illa gratia noui Teſtamenti, quæ lex ſcripta dicitur in corde, & ſpiritus viuificans. Quia hæc verba ſignificant potius particularem efficaciam Spiritus ſancti agentis in cordibus ſingulorum, inſculpentiſque doctrinam prædicatam, quomodo Actor. 16. Lydiæ purpurariæ dicitur cor apertum. Cum tamen hic non de ſingularibus agendum videatur, ſed de vniuerſalibus. Illud melius de lege fidei, quæ abſtracte conſiderari poteſt, quantumuis nemo illam hominum admitteret. Quanquam autem nolimus verborum proprietatem ſuperſtitioſius exagitare, tamen videtur aptius diſtingui, ab vniuerſali prædicatione Euangelij, ipſa illa lex fidei, quam Paulus opponit legi operum. Et hoc nos ſenſu profitemur vſuros in hac controuerſia.

X. Quare ſunt omnino quatuor diſtincta, quorum comparatio venit in

…quiſitionem; Lex proprie dicta, ſiue Lex operum: Tum fœdus cum Iſraelitis initum; ſiue fœdus Vetus, tertio prædicatio Euangelij, quarto Lex fidei: Non vt opponantur primum ſecundo, tertium, quarto, ſed tantum vt diſtinguantur, opponanturq; primum tertio, ſecundum quarto. Hæc autem diſtinctio quanti ſit momenti, ſtatim docebo.

XI. Etenim de Lege operum, concedimus, quod in ſecundo diſcrimine ponitur, datam eſſe tantum à legislatore, & in ſexto, quod non habeat vim iuſtificandi, & ſeptimo, quod ſit lex timoris, & ſeruitutis, & in octauo, quod grauiſſima & importabilis. Sed de eadem reliqua negantur.

XII. Nam in primis, falſum eſt, quod in primo eſt, Lex operum eſt doctrina inchoata, & imperfecta, eſt enim omnino perfectiſſima & abſolutiſſima regula iuſtitiæ moralis, cui nihil addi, nihil detrahi poſſit. Argumentum certiſſimum, quod eam oporteat eſſe perfectiſſimam iuſtitiam, per quam homo ſaluari poſſit, quia in Hieruſalem cœleſtem nihil ingredi poteſt peccato inquinatum. At per iuſtitiam legis homo poteſt ſaluari, ſi eam præſtet, vt patet ex his locis, ad Rom. 10. *Moſes deſcribit iuſtitiam quæ eſt ex lege, Quod qui præſtiterit ea, viuet per ea.* Luc. 10. *Hoc fac & viues.* Deuter. 11. *En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem, benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, quæ ego hodie præcipio vobis.* Et 30. *Teſtes inuoco hodie cœlum, & terram, quod propoſuerim vobis, vitam & mortem.*

XIII. Secundo falſum, quod in tertio: Vni tantum genti datam eſſe legem. Eſt enim hæc lex operum data, id eſt, poſita vniuerſo generi humano niſi forte datam intelligas peculiariter de publicatione per Moſem facta, quæ potius pertinet ad pactum Abrahami. Nam alioquin propoſitam eſſe omnibus, manifeſtum, quia ſecundum eam iudicabuntur omnes, & Paulus docet initio ad Romanos omnes eſſe tranſgreſſores legis. Ad Roman. 3. diſertum eſt: *Ex operibus legis nulla caro iuſtificabitur, per legem enim agnitio peccati.* Neque hoc puto apud quenquam eſſe ambiguum.

XIV. Nam, quod Paulus ait, ad Roman. 2. quoſdam eſſe ſine lege, nihil habet difficile, quandoquidem manifeſtum dici ſine lege κατά τι, non abſolute, quum dicuntur iidem oſtendere opus legis inſcriptum cordibus, vnde manifeſtum, dici ſine lege, comparate cum Iudæis: nimirum quod his, non illis per Moſem publicata lex eſſet. Itaque iidem dicuntur, ſibi ipſis lex eſſe, quod natura, quæ legis ſunt, faciant. Vnde Juſtinianus paraphraſticos, *Ethnici, atq; infideles, qui nullius legis ſcriptæ notitiam perceperunt.*

XV. Ne in quarto quidem verum, legem operum vmbras & figuras rerum futurarum complecti. Nam præcepta non in allegorias transformari poſſunt, ſed ad literam implenda ſunt, ſi per opera iuſtus eſſe quis velit. Sed ne hoc quidem controuerſum exiſtimamus. Itaque Bellarminum non abſolute dicere vmbras habere, ſed magna ex parte, quod ſine dubio verum, quatenus ille non diſtinguit, ſicut nos, legem operum, à pacto Abrahami.

XVI. Nec quintum etiam verum. Lex enim ipſa operum non fuit à Chriſto mutata, ſed confirmata potius. Itaque Chriſtianis idem Decalogus ſemper proponitur, tanquam morum regula, eademque iis vetantur peccata. Quod rurſus extra controuerſiam eſt.

XVII. Atq; hactenus de lege operum. Nunc de pacto ſiue fœdere Iſraelis, verum eſt doctrinam eſſe inchoatam & imperfectam, quod in primo diſcrimine, & in tertio, vni tantum genti datam: & in quinto, mutandam aduenient Chriſto, & in octano, grauem & importabilem.

XVIII. Sed reliqua non ſunt ſimpliciter vera. In ſecundo, non eſſe datam per Chriſtum legislatorem, concedi poteſt, ſi externam duntaxat Oeconomiam conſideres in incarnatione, nemo enim negat hanc Euangelij prærogatiuam, quod primo prædicatum ſit ab ipſo Filio Dei, prout ab Apoſtolo conſideratur primo ad Hebræos. Sed ſi vis eius fœderis negatur fundamentum habere in CHRISTO, tolerari non poteſt. Diſertum enim illud ad Epheſ. 2. *Superſtructi ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, cuius imus angularis lapis, ἀκρογωνιαῖος, eſt ipſe Ieſus Chriſtus.* En tibi Chriſtum fundamentum non tantum Apoſtolorum, id eſt, Euangelij, ſed etiam Prophetarum, id eſt, fœderis Abrahami. Nec vero alias dici poſſet Abrahamus pater noſter. Item huic fœderi, iiſque, qui in eo erant, nulla fuiſſet ſalus: nam aliud nomen nullum datum eſt ſub cœlo, per quod oporteat nos ſeruari, Actor. 4.

XIX. Itaque eadem opera falſum, legem veniſſe ſolam ſine gratia. Nam, quia fides nulla niſi à gratia: Ergo ſub lege, id eſt, Veteri fœdere nulli fuiſſent fideles. At non pauci fuere, teſte Paulo ad Hebræos vndecimo. Falſum item, non adfuiſſe gratiam, per quam fideles cognitum peccatum odio haberent, oppoſitam virtutem amarent. Vnde enim viri boni? Vnde vir ille ſecundum cor Domini? Vnde Abraham fidelis? Vnde Abrahamo iuſtitia fidei?

XX. Nec contra ſunt Hieremias & Ezechiel. Nam Hieremias cap. 31. pollicetur quidem abundantiam Spiritus futuram in Euangelio, ſed non negat eius participationem omnem ſub Veteri fœdere. Hieremias autem manifeſte comparat legem operum Euangelio, *Non ſecundum pactum*, inquit, *quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti.* Nec aliter Paulus explicat ad Hebræos octauo, & decimo. Non aliter ad Roman. 5. pronuntiat, Charitatem Dei effuſam in corda noſtra per Spiritum Sanctum, qui datus ſit nobis, nunquam enim venit ei in mentem omnes ſub lege ſanctos priuare omni efficacia Spiritus. Et Petrum habemus diſerte teſtantem primo primæ, Spiritum Chriſti fuiſſe in Prophetis.

XXI. Eadem ratione explicandum in ſexto, non habuiſſe vim iuſtificandi. Verum enim, quatenus complectebatur legem operum, & ceremonias, ſed non ita, vt in illo fœdere nemo intelligatur iuſtificatus fuiſſe, contra enim docet Paulus ad Roman. 4. Abrahamo imputatam fuiſſe fidem in iuſtitiam, & datam circumciſionem ſigillum iuſtitiæ fidei. Imo ipſi Papiſtæ docent Circumciſionem fuiſſe remedium contra peccatum ſaltem originale, quod falſum, ſi nulla fuit iuſtificatio.

XXII. Sed ne quartum quidem ἀλληγορικῶς admittendum. Legem vmbras, & figuras rerum futurarum magna ex parte complecti. Euangelium vero corpus & veritatem exhibere. Nam ſi ſignifices, nullam exhibitam fuiſſe promiſſionum veritatem, iis qui ſub eo fœdere, contradicet Paulus primæ ad Corinthios decimo Patres in nube baptiſatos, & bibiſſe de ſpiritali petra, quæ eſt Chriſtus, eundem etiam nobiſcum cibum comediſſe. Contradicet Chriſtus, Abrahamo viſum eſſe ſuum diem, & quidem cum gaudio, Ioan. 8.

XXIII. Et vero illud Joann. 1. *Lex per Moſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta*, non eſt de Fœdere Abrahami ſimpliciter, ſed de lege operum. Illud ad Hebræos 10. *Vmbram habens lex futurorum*, peculiariter dictum de Ceremoniis, quæ partem tantum faciebant eius fœderis. At 1. ad Corinth. 10. *Hæc in figura facta ſunt noſtri, hæc omnia in figura contingebant illis*, prorſus alienum ab hoc ſermone, vtpote dictum, non de lege operum, non de fœdere, ſed de exemplis moralibus, qualia ſumi poſſunt innumera à ſingulis actionibus, ſiue bonis, ſiue malis, tum in lege, tum in Euangelio, à quibus admonitiones deduci poſſunt, quid ſit fugiendum, quid ſequendum.

XXIV. Verum tamen erit, ſi intelligas in Nouo Teſtamento vmbras figuraſque aut nullas eſſe, aut ſi forte, pauciſſimas, ſed res ipſas longe manifeſtiſſime propoſitas, & exhibitas, quæ quidem in hac vita exhiberi poſſunt. Cum eædem res in Oeconomia fœderis illius fuerint obſcuriores, adumbratæque multis, iiſque variis figuris. Denique & vno verbo, ſi de aduentu Meſſiæ in carnem loquaris, quomodo Petrus primo prioris, *De qua ſalute inquiſierunt, & quam ſcrutati ſunt Prophetæ, qui venturam in nos gratiam prædixerunt, ſcrutantes in quem aut cuiuſmodi temporis articulum, prænuncius ille qui in ipſis erat Spiritus Chriſti declararet euenturas Chriſti perpeſſiones, & gloriam illas conſequuturam, quibus patefactum eſt, eos non ſibi, ſed nobis ea adminiſtrare, quæ nunc annunciata ſunt vobis.*

XXV. Hæc omnia neceſſe nobis fuit percurrere, quibus abſtinere potuimus, ſi diſtinctius explicaſſet Jeſuita. Legem, quam nominari putauit, ſufficere. Sed nō ſint hæc eius ſola peccata. Aliud eſt, cum nos dicit Euangelium in hac controuerſia ſumere priori ſenſu, pro doctrina Apoſtolorum vniuerſa: Aliud rurſus, cum à nobis hanc doctrinam abſque vlla operum conditione proponi. Nam nos quidem vtrumque falſum eſſe pronunciamus, teſte vel ea calumnia, quam præcedenti capite purgauimus.

XXVI. Itaq; ſemel habeto, nos legis & Euangelij diſcrimen, cum quærimus, vtrumq; nominare contracta illa ſignificatione, ſecundum quam Paulus opponit legem operum, legi fidei, deinde proprium verum certumque diſcrimen conſtituere, conditionem Operum & Fidei. Hoc eſt, legem operum proponere ſalutem ſub conditione legis perficiendæ. At legem fidei eandem proponere, ſub conditione tantum credendi in Chriſtum: nimirum, vt vtrinque conditio ſumatur eodem ſenſu.

XXVII. Nam vt, ne quid inexplicatum relinquam, conditiones in contractibus ſiue fœderibus obſeruamus duûm eſſe generum, quas libet & nominibus diſtinguere, etſi forte minus propriis, alias præcedentes, alias conſequentes. Præcedentes illas dico, quæ cauſam dant contractui, ex formula, *do, vt des.* Nimirum cum quis agrum vendit certa pecunia. Conditiones ſunt reciprocæ, vt venditor agro cedat, emptor pretium pendat. Sic in contrahendo matrimonio, mutua eſt corporum donatio. Huiuſmodi conditiones, non tantum defectu ſuo contractum reſcindant, ſed etiam fundamentum eius conſtituunt, & vt ita dicam, eſſentiam.

XXVIII. Conſequentes autem adduntur præcedentibus, tanquam ex iis pendentes: Verius mutuæ ſunt inter partes, ſed obligant alterutram tantum: ita vt propter eas nihil amplius reliqua teneatur facere. Vt ſi quis, fundo donato, venditove, imponat penſionem annuam pecuniæ, erogandæ in pauperes, & ita quotidie, contrahendis matrimoniis additur dotis conditio. Solent autem, quæ ſunt huiuſmodi conditiones, ſuo defectu irritum contractum facere: at non efficere tamen contractum. Imo, niſi plena iam & perfecta venditio eſſet, nulla eſſet annua pecuniæ penſio. Et antequam vlla hęc ſit, iam oportet emptorem plene non tantum iure eſſe dominum, ſed etiam fundi poſſeſſionem adiuiſſe, id eſt, venditorem ſuis partibus ſatisfeciſſe.

XXIX. Lex igitur operum, exigit impletionem legis, tanquam conditionem antecedentem, qua ſine vlli homini in vitam æternam non tantum poſſeſſio non ſit, ſed ne ius quidem in vitam æternam. At hoc eodem conditionis ſenſu, lex fidei, opera non admittit, ſed tantum altero, nimirum, vt ex vi donatæ iam propter fidem vitæ, neceſſaria ſint opera, adeo vt, qui opera nulla exhibeat, is excidat ab omni iure, quod habebat, vel potius habere videbatur, propter externam vocationem, etſi alioquin opera non ſint cauſa vitæ donandæ.

## CAP. IV.

### *De legibus & comminationibus Euangelij.*

I. HÆc paulo plenius dicenda fuere de ſtatu huius quæſtionis, quam Bellarminus ita diſputat, vt contendat Euangelio contineri, leges proprie dictas, comminationes, & promiſſiones, cum conditione obedientiæ: hoc nimirum fine, vt obtineat, male à nobis aſſignari diſcrimen Euangelij, & legis in iis.

II. Videamus ordine. Primum ergo probat, quia Dominus Matth. 5. confirmat, explicat, & perficit legem Moſis. Hanc autem ſeruari velle docet, primo, ex modo loquendi, *ego autem dico vobis*, quæ verba legislatorem proprie decent, ſecundo, quia dixit Dominus, *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere*, ſi enim nulla eſſet in Euangelio legis obligatio, ſuſtuliſſet legem veterem, quoad præcepta moralia. Tertio, *Si quis ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum:* Ergo iubet legem Veterem ſeruari. Quarto, Matth. 7. *Erat docens, ſicut poteſtatem habens: non ſicut Scribæ & Phariſæi*, id eſt, ſicut legislator.

III. Reſpondeo: non bene conſuluiſſe Bellarminum aut ſibi, aut lectori auido veritatis, cum legem veram tantum nominatam non definiuit: nam cæteroquin veriſimile non eſt, nulla de cauſa ſic nominatam non legem, ſed legem veram. Ego igitur explicabo, ille viderit vtrum ad ſuam mentem, quanquam mihi quidem præcipue veritas attenditur. Lex ergo omnis obligat eum cui ponitur, ad obediendum. Deinde obedientem debita mercede compenſat, tranſgredientem vero punit, quanquam non tam neceſſe ſit obedienti ſuam mercedem eſſe, quam tranſgredienti pœnam, quia lex vt plurimum imperat ea, quæ iam ex officio debentur, ſed hoc tamen nunc nihil ad nos. Inde fit, vt nulla vere lex dicatur, quæ neminem puniat. Itaque,

eſto

eſto nobis ſane legis ratio gemina; vna obedientiæ, altera pœnæ; & ea dicatur vera lex, quæ & obedientiam exigat, & pœnas ſumat, ſi illa deſit.

IV. Hoc poſito, dico Euangelium, quatenus ſignificat legem fidei, nullam legem, vere legem complecti, ſed tantum, quatenus latius ſumptum vniuerſam prædicationem: nimirum quia hæc etiam legis autoritatem confirmat, & renouat. Aſt illa legem proponit tantum ratione obedientiæ, quomodo nos iam conceſſimus bona opera eſſe neceſſaria, non vero ratione pœnæ, quia Euangelio propria eſt remiſſio peccatorum: at remiſſio & pœna, ex diametro opponuntur, adeo vt, quomodo lex nulla remittit peccata, quia omnia punit, ſic Euangelium, quatenus Euangelium, nulla puniat, quia remittit.

V. Hinc habes, 1. Ioan. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ne peccetis*: En tibi obedientiam Euangelio neceſſariam, cuius cauſa poſſit aliquo modo lex dici, ſed ſtatim, *Quod ſi quis peccarit*: En tibi inobedientiam, & tranſgreſſionem, qua poſita, lex ſtatim inferat, dabit pœnas: at Euangelium, *Si quis peccarit, aduocatum apud Patrem habemus Ieſum Chriſtum Iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolum, ſed etiam pro totius mundi.* Item 2. *Si dixerimus nos ſocietatem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur, nec ſincere agimus. Quod ſi in luce incedimus, ſicut ipſe eſt in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & ſanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni peccato. Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & purget nos ab omni iniquitate.*

VI. Multa ſunt huiuſmodi, quæ non neceſſe eſt percurrere. Sed vt ſciamus Euangelio propriam eſſe indulgentiam, quarto, vt dicunt, modo, Paulus nominat ſermonem reconciliationis, 2. ad Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis peccata ipſorum, poſuitque in nobis ſermonem hunc reconciliationis. Itaque, nomine Chriſti legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos, oramus Chriſti nomine, reconciliamini Deo.* Hinc eſt etiam illa Euangelij definitio ad Roman. 1. Euangelium *eſt potentia Dei ad ſalutem cuiuis credenti.* Nam lex vere lex non ita determinatur ad ſalutem: Etenim ex ſe ambigua eſt in vtrumque, ſcilicet ad ſalutem, & ad ſupplicium: at per peccatum, certa in alterum, videlicet ſupplicium, vnde à Paulo 2. ad Corinth. 3. dicitur *miniſterium mortis*, & ad Rom. 4. ὀργὴν κατεργάζεσθαι, *iram operari.*

VII. Nec contra quicquam probat Bellarminus. Nam primo, quod de legiſlatore ponit, & autoritate docentis, nihil habet vitium. Nam hæc autoritas neceſſaria eſt, non ei tantum qui legem fert vere legem, id eſt, damnantem, ſed etiam qui legem, eo tantum legem, quod obedientiam exigat. Dicam amplius, eum neceſſe eſt legiſlatorem eſſe, non tantum qui punit, ſed etiam qui peccata condonat, quod nemini ignotum eſt. Admittimus ergo, quæcunque argumenta probant Chriſtum eſſe legiſlatorem. Sed negamus ſequi, Chriſtus eſt legiſlator, ergo, Euangelium eſt lex vere, & proprie. Velle etiam ſuas leges obſeruari, ἀναμφισβήτητον eſt, imo abſurdiſſimum eſſet legem nolle obſeruari, ſed rurſus negamus inde ſequi, eſſe legem proprie dictam.

VIII. Rurſus Bellarminus arguit: Si lex vetus moralis ad Chriſtianos non pertineret, quare Dominus tam accurate illam exponeret & perficeret? Num Euangelium Chriſti otioſe in rerum inutilium explicatione conſumi debuit?

IX. Imo legem veterem ad Chriſtianos non pertinere, abſit vt dicamus, quod ſæpe teſtati ſumus. Contra hoc magis ad Chriſtianos pertinere credimus, quo accuratius illam Chriſtus expoſuit & confirmauit. Sed pertinere tantum quoad obedientiam, non vero quoad damnationem: *Nam Chriſtus nos redemit ab exſecratione legis, dum pro nobis factus eſt exſecratio*, ad Galat. 3. Et ad Roman. 6. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Et 7. *Nunc autem liberati (ſiue, vt vetus interpres maluit) ſoluti ſumus à lege.* Quid ergo? Nempe hoc argumentum non ratione nititur, ſed calumnia.

X. Atque hactenus de lege vera. Nunc de comminationibus. Probat ergo in Euangelio contineri terrores & comminationes. Sed nos non ita ponimus ſtatum quæſtionis, agnoſcimus enim contineri in Euangelio comminationes, ſed nimirum, quatenus Euangelium ſumitur late pro prædicatione, negamus autem eſſe in lege Fidei, hoc eſt, eſſe in Euangelio, quatenus Euangelium eſt, ſiue ab ipſa Euangelij natura, ſed à legis confirmatione.

XI. Primum argumentum Bellarmini, ex Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus gehennæ.* Et 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

XII. Reſpondeo, hæc à Chriſto dicta, pertinere ad legem operum, non vero legem fidei. Id enim illa habet, vt æterno ſupplicio damnet tranſgreſſores, cum hæc contra tranſgreſſoribus proponat æterna gaudia, ſi pœnitentiam agant, & credant.

XIII. Ille inſtat ab abſurdo, ſi ita ſit, magnam partem ſermonum Chriſti, non futuram Chriſti, ſed Moſis, & Chriſtum in Euangelio, nihil minus quam Euangelium prædicare.

XIV. Sed ego hanc conſequentiam ab ira eſſe, non à ratione dico, ideoque abſurdam. Nam quia Chriſti prædicatio continet & explicationem confirmationemque legis, & gratiam Euangelij, certe vtraque erunt verba Chriſti, & quæ gratiam promittent, & quæ legem confirmabunt. Porro ad Chriſti munus, pertinuiſſe etiam legis confirmationem, ipſe docuit Matth. 5. *Ne exiſtimate me veniſſe vt diſſoluam legem, aut Prophetas; non veni vt diſſoluam, ſed vt impleam.*

XV. Secundum, ex 1. ad Roman. *Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem.* Ergo reuelatio iræ Dei manifeſte tribuitur Euangelio, quia iuſtitia reuelatur ex fide, vt iuſtificati euadant iram, quam impiis imminere teſtatur idem Euangelium. Vnde capit. ſecundo, *In die, cum iudicabit Dominus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum.*

XVI. Imo falſo ſupponit iram Dei reuelari in Euangelio, quod Paulus non dixit, ſed tantum iuſtitiam, illam nimirum, qua iuſtificatur homo, & per quam ſit Euangelium potentia Dei ad ſalutem. Ideoque huic iuſtitiæ opponitur directe ira, quæ abſque vllo dubio eſt potentia Dei ad damnationem. Dixit Apoſtolus & iuſtitiam & iram Dei reuelari; ſed non eodem modo tamen, iuſtitiam enim in Euangelio: at iram è cœlo. Scio Papiſtas; Dominicum à Soto, Pererium, Toletum, Iuſtinianum; ipſum etiam Thomam; repetere ἀπὸ κοινοῦ, etiam in hoc membro, illud *in eo*; ſed dico violenter facere, & præter contextus ſeriem.



XVII. Enimuero particulam *enim* nemo dixerit eſſe otioſam, eſſe autem αἰτιολογικόν, cuiuis notum. Ponamus ergo ſic dixiſſe Paulum; *Reuelatur enim in Euangelio ira Dei.* Quæro nexum cum præcedentibus. Neceſſe erit hanc clauſulam referri vel ad illud, *Euangelium virtus eſt Dei ad ſalutem*: Vel ad alterum, *Iuſtitia enim Dei reuelatur in eo ex fide in fidem.* Si primum: Ergo duas Paulus rationes proponeret, quibus vnam eandemque rem demonſtraret. Sed quis non videt inſolentiam ἀναλυτικῆς copulæ, pro copulatiua? Aut quod ſimile dabitur exemplum?

XVIII. Oportet ergo referri ad poſterius. Hic autem gemina poteſt quæſtio eſſe, vna, Vtrum reueletur in Euangelio iuſtitia ex fide, altera, Vtrum iuſtitia ſit ex fide. Sed perſpicuum eſt ex tota diſputatione, non illam, ſed hanc tractari. Ad hanc autem concludendam, nihil neceſſe affirmare, hanc iram declarari in Euangelio, ſed tantum conſtare, certamque eſſe ac indubitatam, iram Dei in peccata hominum. Vndecunque enim id conſtet, ſiue ex Euangelio, ſiue ex lege Moſis, ſiue ex natura, perinde eſt. Quæ cauſa fuit Bezæ vertendi ἀποκαλύπτεται, alias *palam eſt*, alias *patet*. Itaque id pro fundamento Bellarminus ponit, quod incertum eſt, cum neque verba inferant, neque res exigat.

XIX. Deinde vt hoc ipſum gratis concedatur, tamen ita Bellarminum explicare coegit veritas, vt nihil inde ſequatur. Teſtatur, inquit Euangelium impiis iram imminere. Optime, inquam, teſtatur. Atqui etiam quæ aliena ſunt à natura Euangelij, quatenus Euangeliũ eſt, teſtari poteſt Euangelium. Quomodo Euangelio ipſi teſtimonium perhibuit lex. Ad Rom. 3. *Nunc vero abſq; lege iuſtitia Dei patefacta eſt, teſtificata*, ſiue interprete Beza, *comprobata teſtimonio legis, ac Prophetarum.* Cum tamen ad legem pertinere Euangelium nemo tam abſurde fuit Theologus, vt diceret.

XX. Dixit tamen Paulus Deum iudicaturum ſecundum Euangelium. Sed explicat Iuſtinianus in paraphraſi, *Vt traditur in Euangelio.* Toletus, *hoc eſt enim quod docet, & aperte tradit* Euangelium, *iudicium hoc vniuerſale futurum per Chriſtum.* Dominicus à Soto, *Secundum quod euangelizare doceréq; ſoleo vos.* Salmero, *vt ſoleo prædicare.* Sed & Beza, *Nempe quod aperte demum Chriſtus adueniens hæc duo nobis patefecerit, diem videlicet futurum, in quo ipſe ex cœlo ſit ad ſemel iudicandos viuos & mortuos venturus, & omnia in æternum inſtauraturus.* Manifeſta ergo res eſt. Nam, etſi veriſſimum eſt, iudicatum iri impios, idque conſtet ex teſtimonio Euangelij, tamen non ſequitur Euangelij proprias eſſe comminationes, ſed legis, cui teſtimonium redditur ab Euangelio. Quomodo cum ſit veriſſimum, remiſſum iri peccata fidelibus per Chriſtum, cui lex perhibet teſtimonium, tamen falſum eſt, remiſſionem peccatorum eſſe propriam legi.

XXI. Tertium argumentum eſt Actor. 2. cum Petrus prædicaſſet Euangelium, tum, *his auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apoſtolos, Quid faciemus, viri fratres?* Euangelium igitur non ſolum conſolatur, ſed etiam terret, compunctio enim ex terrore naſcitur.

XXII. Reſpondeo, negari conſequentiam. Nam Petrus non tantum prædicauit Euangelium, id eſt, legem fidei, ſed etiam, ex lege operum exprobrauit grauiſſimum crimen occiſi Filij Dei. Quod poſitum, ſatis fuit ad terrorem incutiendum, ex vi legis, *Non occides.* Sic autem ſolet lex Euangelio inſeruire, nimirum, vt indicata certiſſima ex operibus damnatione, præparet quemque ad quærendam gratiam. Nam haud aliter Paulus docuit, ex fide quemque viuere, niſi poſito, neminem iuſtificari ex operibus legis propter tranſgreſſiones. Auguſtinus Epiſt. 144. *lex docendo, & iubendo, quod ſine gratia impleri non poteſt, homini demonſtrat ſuam infirmitatem, vt quærat demonſtrata infirmitas Saluatorem, à quo ſanata voluntas poſſit, quod infirma non poſſet. Lex igitur adducit ad fidem.*

XXIII. Nec aliud iudicium de Paulo perterrefaciente Felicem: Actorum vigeſimo quarto. Nam quod Bellarminus inſultans, *Non audebunt*, inquit, *dicere Paulum vocatum, vt prædicaret fidem* CHRISTI, *pro fide legem, pro* CHRISTO *Moſen, pro Euangelio aliquid Euangelio contrarium prædicaſſe*: merum eſt nugamentum. Neque enim, qui ex lege Moſis conſcientiam pungit, vt Chriſto præparet, is aut pro fide legem docet, aut pro Chriſto Moſen, aut quicquam Euangelio contrarium, ſed tantum qui legis operibus iuſtificari hominem. Eadem ratio & Iacobi, & Iudæ, & Apocalypſeos, ne prolixiores ſimus.

XXIV. Cum nihil probauit Bellarminus, tum nos contra habemus argumenta potentiſſima. Vnum, à nomine Euangelij, indito ad deſignandum proprium officium doctrinæ ſalutaris, id eſt, legis Fidei, ſignificat enim bonum nuncium. Et hoc explicatur his locis: Lucæ 4. *Spiritus Domini ſuper me, propterea quod vnxit me: vt euangelizem pauperibus, miſit me vt ſanem contritos corde, vt prædicem captiuis dimiſſionem, & cæcis viſus recuperationem, & confractos emittam in libertatem, vt prædicem annum Domini acceptum.* Actor. 10. *Euangelizans pacem per Ieſum Chriſtum.* Ad Roman. 1. *Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem.* Et 10. *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Argumentum in promptu. Omne Euangelium proprie eſt bonum, & lætum nuncium: at nulla comminatio, nullus terror, eſt bonum & lætum nuncium. Ergo nulla comminatio, nullus terror, eſt proprie Euangelium.

XXV. Reſpondet Bellarminus, impugnans maiorem. Eſſe enim Euangelij nomen impoſitum ab altera tantum parte; quomodo, etſi clauis non tantum claudat, ſed etiam aperiat, tamen dicitur à claudendo. Ergo Euangelium annunciare quidem Saluatoris aduentum, reconciliationem cum Deo, aditum patefactum ad regnum cœlorum, ſed ſimul etiam indignationem non recipientibus Saluatorem. Denique terret, vt conſoletur, quomodo medicus vulnerat, vt ſanet, emaciat vt reficiat; cibum eripit, vt cibi vſum reddat.

XXVI. Sed nos primum negamus impoſitum nomen ab altera tantum parte. Contradicit enim definitio, *Potentia ad ſalutem: Sermo reconciliationis.* Itaque diſſimile eſt exemplum clauis. Quia non, vt nomen clavi à claudendo, ita & definitio. Concedo annunciari & reconciliationem & indignationem. Sed ab Euangelio late ſumpto, non autem lege fidei. Im-

quia verum, illud ipſum Euangelium late ſumptum terrere, vt conſoletur, ſequitur, proprium maxime officium Euangelij eſſe illud, quo conſolatio cōtinetur, quomodo medici proprium ſanare, non autem vulnerare, etſi aliquando vulneret, ſed nonniſi vt ſanet. Nam ſi proprie medici officium eſſet vulnerare, aliquando certe vulneraret tantum, vt vulneraret, quod ille tamen nunquam facit. Omnino ad eam rationem, Euangelium aliquando ſaltem terreret in eum finem, vt terreret, ſi eius propria pars eſſet terror. Quod nunquam accidit. Imò notandum, nunquam legi in ſcripturis à Chriſto quenquam confractum, ſed liberari confractum, quomodo medicus vulneratum ſanat.

XXVII. Alterum noſtrum argumentum, ex 8. ad Roman. *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis rurſus ad metum, εἰς φόβον.* Quod neceſſario eſſet falſum, ſi proprium eſſet Euangelij officium terrere.

XXVIII. Reſpondet, negans inde colligi diſcrimen Legis & Euangelij, quatenus Euangelium ſignificat vniuerſam doctrinam Chriſti, & Apoſtolorum, quo ſenſu ille diſputat, ſed inter Teſtamentum Nouum & Vetus.

XXIX. At nos diſcrimen teſtati ſumus quærere legis operum, & legis fidei, id eſt, tum Legis tum Euangelij, non lata ſignificatione, pro vniuerſa doctrina Veteris & Noui Teſtamenti, ſed contracta, vt ante explicuimus. Quid ergo Sophiſticen moremur eius, qui non veritatem habet pro ſcopo, ſed calumniam? Sed & Paulus haud aliter quam nos ſtatim initio capitis, *Nulla eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto: Nam lex Spiritus vitæ, qui eſt in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis.* Potuit-ne quicquam diſertius? Nam & lex Spiritus opponitur legi peccati, & illi tanquam propria aſſignatur vita, huic vero mors. Vnde manifeſtum, nullam eſſe damnationem iis qui in Chriſto, id eſt, liberati à lege mortis, ſunt ſub lege Spiritus. Atqui non aliunde terror, non aliunde comminatio, quam à condemnatione, & morte. Si ergo verum in Euangelio large nominato contineri terrores, neceſſe eſt aut mentitum eſſe Apoſtolum, quod abſit, aut (quod verum) loquutum de Euangelio contracte, ideoq; ſolutionem Bellarmini non eſſe ad eius mentem.

## CAP. V.

### *De promiſſionibus Euangelij conditionatis.*

I. SEd hæ leges, hique terrores paululum quid diuertebant à noſtro controuerſiarum ordine. Itaque tertium caput de conditionibus agnoſcit huius loci maxime proprium Bellarminus. Quæritur ergo, vtrum Euangelicæ promiſſiones habeant additam operum conditionem, non ſimpliciter, ſed vt antecedentes; an vt conſequentes, ſic enim nos diſtinximus, non tantum definitionibus, ſed etiam, doctrinæ gratia, nominibus. Bellarminus antecedentes aſſerit, nos potius conſequentes.

II. Qua in diſputatione noſtra, nulla argumenta proferri neceſſe eſt, quandoquidem res confecta ſit eadem opera, quæ paulo ante diſputauit contra operum neceſſitatem effectiuam. Etenim omnis conditio antecedens, eſt effectiua: ex noſtra definitione. Si ergo operum conditio addita promiſſionibus non ſit effectiua, ne antecedens quidem erit, ideoque ex neceſſitate diſtributionis, tantum conſequens. Conſideremus ergo Bellarmini argumenta.

III. Primum eſt ex Matth. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Hæc, inquit, promiſſio Euangelica, quia comprehendit regnum cœlorum, & tamen habet conditionem iuſtitiæ actualis, quæ in perfecta mandatorum obſeruatione conſiſtit.

IV. Reſpondeo: primum dubitari poſſe vtrum promiſſio ſit Euangelica, quandoquidem Chriſtus ſermonem habeat de lege operum vindicanda à Phariſæorum traditionibus. Nam, cum proteſtatus eſſet ſe veniſſe, vt legem non ſolueret, ſed impleret, eoſque pronunciaſſet minimos futuros in regno cœlorum, qui vel vnum mandatum ſoluerent, ſtatim addit, *Dico autem vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Nimirum ſignificans iuſtitiam illam legis longe ampliorem eſſe & auguſtiorem iuſtitia illa, quam velut perfectiſſimam ſiue commendabant, ſiue exercebant Phariſæi. Huc facit Franciſcus Lucas, *Sunt igitur hæc, quæ Saluator proponere ſtatuit, aliquid legis, nec ſeruat legem, qui ea non ſeruat.* Etiam Maldonatus, *Iuſtitia veſtra. Legis obſeruatio, quam Chriſtus ipſe iuſtitiam appellat, quia obſeruatione mandatorum Dei iuſtificamur.*

V. Neque obſtat regnum cœlorum. Nam eo ſignificari vitam æternam, quis ignorat? Atqui legali iuſtitiæ propoſitam fuiſſe vitam æternam, ne aduerſarij quidem negant. Quid igitur obſtat, quominus etiam regnum cœlorum dicatur propoſitum iuſtitiæ legali? Eſt quidem id regnum aliquo modo proprium Euangelio, fateor, ſed dupliciter, primo, quia diſertum nomen eius in Euangelio eſt, non in Lege, ſecundo, quia id ipſum obtinetur per Euangelium, nunquam vero per legem, ſed ſi hæc efficiunt, vt nihil ad legem pertineat regnum cœlorum, eadem efficient, vt ne vita quidem æterna, quod eſt abſurdum.

VI. Verum, etiam ſi daremus promiſſionem eſſe Euangelicam, non legalem, tamen argumentum inutile eſt, quia non probat conditionem antecedentem. Nam quia, vt diximus, conditiones conſequentes, ſi deficiant, irritum faciunt contractum, alioquin plenum: Ergo verum erit, non ingreſſurum in regnum cœlorum, qui non amplius iuſtus fuerit, quam Scribæ & Phariſæi, etiam ſi conditio operum non ſit antecedens, vt vult Bellarminus, ſed tantum conſequens, vt nos contendimus. Quanquam non concedimus eam iuſtitiam ſitam in perfecta mandatorum obſeruatione, ne tollatur remiſſio peccatorum, qua de re alias actum eſt.

VII. Secundum argumentum, Ex Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et Luc. 10. *Hoc fac, & viues.* Hæc, inquit, apertiſſima vitæ æternæ promiſſio, apertiſſimam conditionem exigit obedientiæ.

VIII. Bellarminus aliquos dicit reſpondere hæc à Chriſto dicta εἰρωνικῶς. Et his videtur Caluinum annumerare, dicentem Inſtitut. 3. cap. 18. Chriſtum attemperare ſolitum reſponſa iis, qui interrogarent, ideoque hunc legis peritum remiſiſſe ad obſeruationem legis, quoniam perſuaſione legalis iuſtitiæ imbutus eſſet. Brentium vero auſum dicere indicatam à Chriſto potius viam ad damnationem æternam.

IX. Sed nos nec ironiam, nec Brentium, probamus, etſi ſciamus poſſe aliquomodo molliri, quæ durius dicta fuere. Reſpondemus potius promiſſionem illam eſſe non Euangelicam, ſed legalem: id eſt, declaraſſe Chriſtum, quomodo per legem operum obtineri poſſit vita. Neque vero aliter à Caluino reſponſum, cui propterea immerito conflatur inuidia, quaſi ironiam probauerit. Verba eius fuerant à Bellarmino non mutilanda. Itaque recito, *Quaſi vero non conſtet Chriſtum iis reſponſa ſua attemperaſſe, quibuſcum negotium eſſe ſibi videbat. Hic à legis doctore interrogatur de ratione obtinendæ beatitudinis, neque id ſimpliciter, ſed, quid faciendo ad ipſam perueniant homines. Et loquentis perſona, & ipſa interrogatio Dominum inducebat, vt ſic reſponderet.* Et hactenus quidem relatum voluit Bellarminus. Sed hoccine idem Caluino cum Ironia? Minime vero. Audin', *Ergo merito remittitur ad legem, in qua eſt abſolutum iuſtitiæ ſpeculum. Nos quoque clara voce prædicamus ſeruanda eſſe mandata, ſi in operibus vita quæritur. Atque hæc doctrina cognitu neceſſaria eſt Chriſtianis.* Et poſt, *Summa hæc eſto: Si in operibus ſalus quæritur, ſeruanda eſſe mandata, quibus inſtituimur ad perfectam iuſtitiam.* Hæccine Ironiam redolent? Sed in Harmonia clarius, *Et certe ſic habendum eſt, Deum lege ſua complexum eſſe ſancte iuſteque viuendi rationem, qua iuſtitia continetur, neque enim fruſtra hanc ſententiam protulit Moſes: Qui fecerit hæc, viuet in ipſis. Item, Conteſtor cœlum & terram, quod hodie vobis oſtenderim vitam. Negandum ergo non eſt, quin legis obſeruatio iuſtitia ſit, qua vitam ſibi acquireret, ſi quis perfectus eſſet Legis obſeruator.* Hæccine Ironiam redolent? Ergo ſeipſam Caluini ſatis ſuperque tuetur innocentia.

X. Quid ergo? Conſentimus vere, & vt ſe res habet Chriſtum reſpondiſſe. Sed negamus tamen propoſuiſſe promiſſionem Euangelicam, verum legalem, vt ſenſus ſit, non abſolute perueniendum eſſe ad vitam per impletionem legis, ſed poſita hypotheſi interrogantis, cuius verba erāt: *Quid faciam, vt vitam æternam poſſideam?* Id eſt, interprete Caluino, Quæ ſunt opera iuſtitiæ, quibus ſalus comparatur? Non enim ſimpliciter rogat, quomodo & qua via perueniet ad vitam, ſed quid boni faciendo eam acquiret. Merita igitur ſomniat, quibus vita æterna reddatur, quaſi debita compenſatio. Quid autem Caluinum dico? Stapletonus enim haud aliter in Promptuario Catholico, Dominica 12. poſt Pentecoſt. *Quærebat, quid faciendo, id eſt, per quæ tandem opera vitam æternam poſſideret.* Sed & Salmero diſcept. 51. Tom. 8. vocat *Iudæum ad opera attendentem.* Ita ſenſus erit: Si quis per opera velit peruenire ad vitam, hunc oportet facere quæ mandata ſunt.

XI. Sed hoc improbat idem Stapletonus in Antidotis Euangelicis. Et ſimpliciter adoleſcentem interrogaſſe, qua via perueniret ad vitam, probat ex ſimplice reſponſione Chriſti. Nam ad illud, *Quid boni me oportet facere*, reſpondiſſe, *Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus Deus:* nimirum non debuiſſe adiicere: Quid boni, interrogando de bono, quaſi quæ homines facerent, ex ſe facerent, aut abſolute & perfecte bona eſſent.

XII. Sed Stapletonum ſua fefellit Dialectica, qui quod nos in quæſtionem vocamus, id pro argumento ſumat: nimirum ſimplicem eſſe reſponſionem Chriſti, & non ex hypoteſi interrogantis. Præterea ridiculus eſt, qui illud, *Vnus eſt bonus Deus*, reſponſum aptat, & illi, *Magiſter bone*, & iſti, *Quid boni faciam?* Profecto nihil dici potuit incogitantius. Nā vel cæcus videat, illud quidem, *Vnus eſt bonus*, reſpondere epitheto boni, quo Chriſtum iuuenis ornauerat, reliquum pertinere ad nodum quæſtionis. Sed Stapletono videlicet impoſuit illud ex Vulgato interpete, *Quid me interrogas de bono*, quo nihil cogitari potuit peruerſius. Cum Græce ſit, Τί με λέγεις ἀγαθόν; *Quid me dicis bonum?* Vt eſt apud Marcum, & Lucam. Imo etiam hoc loco apud Syrum interpretem. Nec aliter vllus Græcorum legit Interpretum. Tantum vnum aut alterum exemplar annotatur à Franciſco Luca abire ſeorſum. Quin certe non ſunt tanti. Maxime contradicente ſententia tam aperte, vt Maldonatus, non auſus reiicere vulgarem verſionem, interpretando coactus ſit inflectere, *Si ita legamus*, inquit, *non ſignificat, quid me interrogas, quid boni facturus ſis, ſed quid me interrogas, bonum appellans.*

XIII. Tertium Bellarmino argumentum, ex ad Roman. 8. *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Cohæredes Chriſti, ſi tamen compatiamur.* Poſter. ad Timoth. 2. *Si commortui ſumus, & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Similiter ex Prophetis, Ezech. 18. *Si impius auerterit ſe ab impietate ſua, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet.*

XIV. Verum hæc non magni ſunt laboris. Probatur ex iis ſane, promiſſiones eſſe conditionatas, quod non eſt incertum: at non probatur eas conditiones eſſe antecedentes, quæ diſputatio noſtra eſt.

XV. Quarto. Probatur, inquit, ex conditione fidei, Marc. vlt. *Qui crediderit, ſaluus erit.* Hinc gemina argutatio. Prior, Quomodo conditionales non ſunt promiſſiones, ſi conditio fidei requiritur? Altera. Ergo falſum eſt non requiri conditionem legis implendæ. Nam quibus verbis Scriptura docet, requiri conditionem fidei ad ſalutem, iiſdem, vel etiam clarioribus, docet, requiri conditionem legis implendæ.

XVI. Reſpondeo, ne hinc quidem ſequi quicquam. Nam etiam fidei conditio non eſt antecedens, ſed conſequens, quia, vt alias explicaturi ſumus, nullum fidei meritum attenditur, ſiue fides non eſt cauſa ſalutis, ſed tantum inſtrumentum apprehendendæ gratiæ. In priori Sophiſmate, ſui ipſius oblitus eſt Bellarminus, qui cap. præcedenti, noſtram ſententiam ſic expreſſerat, *Euangelium promittere iuſtitiam & ſalutem ſine vlla conditione, ſed abſolute, vel cum ſola conditione fidei.* Quod ſi eſt, quis non videt quam abſurda ſit argutatio?

XVII. In ſecundo Sophiſmate, negatur conſequentia, dummodo ſemper conditio antecedens intelligatur. Nam Scripturā iiſdem verbis exprimere conditionem fidei, & legis, verum eſt ſecundum quid: nimirum, cum hypotheſis ipſa deſignatur. Sed hæc cum ſit vtrinque ſimilis, nihil mirum, ſi verbis etiam ſimilibus exprimatur, nec ſequitur rationem non eſſe diuerſam. Nam & impune poſſumus dicere, non tantum, Si ſol ſit infra horizontem, nox eſt, ſed etiam, Si ſtellæ luceant ſupra horizontem, nox eſt. Etſi vere alia ſit & alia ratio, quia Sol quidem infra horizontem poſitus, cauſa eſt noctis: at non ſtellæ ſupra eundem. Sed abſolute tamen falſum eſt iiſdem verbis exprimi ſemper vtramque hypotheſin. Nam diſerte legas, iuſtificari hominem fide, at contra, iuſtificari ſine operibus legis. Quarum phraſeon θαυμαστὸν ὅσον τὸ διάφορον.

***

CAP.

## Cap. VI.

### *De libertate Chriſtiana circa legem moralem.*

I. DIſcrimen Legis & Euangelij, ſequitur apud Bellarminum Libertas Chriſtiana. Hanc ille à ſuis conſtitui docet, iuxta Concilium Tridentinum, non vt liberi ſint Chriſtiani ab obligatione præceptorum Dei, & Eccleſiæ: ſed è peccato & morte: à iugo legis cæremonialis, & iudicialis Hebræorum: tum à dominio & reatu legis naturalis.

II. Nos vero accuſat, quaſi docentes, Nulli legi fideles ſubijci in conſcientia, & coram Deo: Chriſtumque habere pro redemptore, non pro legislatore: Moſen cum ſuo Decalogo nihil ad eos pertinere.

III. Sed ille ſui ſemper eſt ſimilis in nobis calumnia grauandis. At nos longè aliter, & diſtinctius. Libertatem Chriſtianam conſideramus in vſurpandis omittendiſue rebus, quas diſtinguimus in Certas, & Indifferentes, Illas, quæ ex præcepto Dei ſimpliciter vel mandantur, vel prohibentur: ac proinde ſuo genere neceſſario vel bonæ ſunt, vel malæ: cuiuſmodi illæ ſunt omnes, circa quas propriè verſatur Lex Dei moralis. Indifferentes vero, quæ ſuo genere nec bonæ ſunt, nec malæ; ideoque non niſi per accidens pertinent ad legem moralem. Circa vtrumque genus fatemur occupari libertatem Chriſtianam: ſed longè diuerſa ratione: vnde nobis neceſſario diſtincta eſſe oportet capita.

IV. Circa res ergo neceſſarias, legemque adeo moralem, conſtat ex præcedentibus immanem nobis fieri iniuriam, cum dicimur vlli nos legi ſubditos negare coram Deo. Neque enim id de ijs veraciter dici poteſt, qui profitentur ſibi obedientiam legis diuinæ, eſſe neceſſariam Et quidem ita, vt quicunque eam violet, peccati reus ſit: peccati autem non venialis, quo ſenſu Papiſtæ veniale dixerunt, ſed vere mortalis: adeo vt eo ipſo verè mereantur æternam damnationem : à qua nullo ſe ipſi pacto eximere poſſint, per vlla merita, per vllas ſatisfactiones, per vlla hominum ſuffragia : ſed tantum per veram, viuamque fidem, id eſt, per merita vnius Chriſti. Quæ capita, partim iam diſputauimus, partim ſumus ſuo loco, & tempore diſputaturi, aduerſum Papiſtas, illam ipſam legis obedientiam, quam videri volunt tantopere commendare, variè ſiue eludentes, ſiue eneruantes.

V. Quare ſi quos Bellarminus comperit, qui dixerint nulli ſubeſſe legi fideles coram Deo: nihil ad nos pertinere Decalogum Moſis, audacter aduerſus eos diſputato: certus ſe habiturum nos non aduerſarios, ſed ſocios : ſi ſocios tamen patiatur Ieſuiticum ſupercilium. Quãquam exiſtimo hanc Caluino cauſam longe ſolidius viuaciuſque actam contra Libertinos, quam ab eo tentatam viderim. Sed vt vt ſit, ne exſpectato à nobis examen ſuæ in hac re diſputationis, quam vellemus etiam fuiſſe neruoſiorem.

VI. Quid ergo? aut quomodo nobis libertas definitur circa hoc genus rerum? Deſcribam ex Caluino, qui inſtitutionis lib. 3. c. 19. Libertatis tres partes conſtituit, quarum tamen duę tantum huc pertinent, tertia tota ad res indifferentes, de quibus paulo poſt.

VII. Prima ergo pars, *vt fidelium conſcientiæ, dum fiducia ſua coram Deo iuſtificationis quærenda eſt, ſeſe ſupra legem erigant atque efferant, totamque legis iuſtitiam obliuiſcantur. Altera, quæ ex ſuperiore pendet, vt conſcientiæ, non quaſi legis neceſſitate coactæ, legi obſequantur: ſed legis ipſius iugo liberæ, voluntati Dei vltro obediant*. Senſus eſt, nullam iuſtificationis noſtræ apud Deum partem, ſiue particulam, conſtituendam eſſe in legis obedientia : quia cum fieri nequeat, vt vlla ſit à peccato libera, non poterit deeſſe miſerrima, & infra omnem ſeruitutem deiecta anxietas, noſtriſque conſcientijs moleſtiſſima, quæ tum demum nulla erit, cum certi erimus, nobis iuſtificationem ex meritis conſtare Chriſti: vnde fiet etiam, vt alacres ei ſubijciamus nos ipſos, cui tamen implendæ ſentiamus impares.

VIII. Et vero non ignorauit Bellarminus, qui ſciuit nos intelligere libertatem à lege, non quaſi præuaricatio non ſit peccatum, ſed quod non imputetur: ita enim diſertè ſcriptum reliquit, hoc ipſo capite, & hauſit ex Luthero, Caluinoque. A quibus verbis facilè illum patimur concludere, verè & propriè legem ad nos pertinere, eiuſque iugo nos eſſe ſubiectos: & probamus concluſionis rationem: Si verè peccemus, licet peccatum non imputetur, tamen verè nos præuaricari legem: proinde verè legem habere: quia non ſint verè præuaricatores, qui legem non habeant, neque vere peccare, qui legem non præuaricentur.

IX. Sed non æquè nobis probari poteſt ſubiectum ſtatim ſophiſma. Præuaricatio, vel cum fide ſubſiſtit, vel non. Si non ſubſiſtit, ergo imputatur. Sin ſubſiſtit, ergo non ſunt neceſſaria bona opera, ne quidem vt fructus, & ſigna fidei.

X. Nam ſubſiſtere poſſe cum fide, concedimus, quandoquidem probauimus donum hoc Dei extingui non poſſe: indeque fieri vt non imputentur præuaricationes: quia idem, qui cum Betſabæa commiſit adulterium, tamen credidit in Deum. Sed ſi ſubſiſtat cum fide præuaricatio, ergo non eſſe neceſſaria bona opera; monſtrum eſt conſequentiæ: cui refellendæ, cur immorer, quum ne veriſimili quidem coniectura fultam videam?

XI. Quare nobis hoc loco nulla fuit diſputanda controuerſia: ſed tantũ impudens compeſcenda calumnia, vt locus detur tandem diſputationi de rebus indifferentibus.

## Cap. VII.

### *De Libertate circa ἀδιάφορα.*

I. EXplicanda venit Libertas Chriſtiana in rebus indifferentibus. Ingens negotium, prolixumque, & diffuſum in multa capita, propter immanem ſuperſtitionis impetum, in quam facile diuertit humanum ingenium, non tantum cum Idololatria occupatur, ſed etiam cum inde arcetur: adeo peruicax malum. Sed & ſubtiliter blandiens ſpecie boni, qua pietatis, qua vtilitatis, ſiue priuatæ, ſiue publicæ: adeo vt vix vnquam fuerint eius initia aut multa, aut apertè mala, ſed ſemel admiſſum ſerpſerit longius, donec nihil reliquerit non corrupti. Id videre eſt manifeſto, præſentique religionis Papiſticæ exemplo, vbi ſuperſtitionibus, neque omnibus, neque ſingulis modus vllus. Nam & variarum obſeruationum iniri vix numerus poteſt, quin & inſtituendarum nullus ſit finis: tum autem ſingulis, tam ſunt perplexi laquei, tam potentes ſcrupuli conſcientiæ, vt nihil addi poſſe videatur. In ſumma, Augiæ ſtabulum videas ſtercoribus ſemper ingeſtis, egeſtis nunquam. Hoc nobis ſtabulum purgandum eſt. Atque vtinam purgari poſſit. Sed vt poſſit, quis neget laborem opus eſſe pluſquam Herculeum? Adeſto Deus laborantibus, qui hactenus infirmitatem noſtram noluit eſſe neceſſario deſtitutam auxilio gratiæ ſuæ.

II. De hac igitur parte Libertatis Chriſtianæ, nos quidem ſic docemus, vt expreſſit Caluinus, in Inſtitut. lib. 3. 19. §. 7. *Tertia pars Libertatis eſt, vt nulla rerum externarum, quæ per ſe ſunt ἀδιάφοροι, religione coram Deo teneamur: quin eas nunc vſurpare, nunc omittere indifferenter liceat*. Sed hæc breuiter dicta, ſunt explicanda latius, ne quid ſit obſcuri.

III. Primum ergo res externas, ſiue ἀδιαφόρους appellamus eas omnes (quod meminimus iam dicere) quæ ex legis moralis vi, id eſt, certo Dei mandato, neque virtutes ſunt, neque vitia: ac proinde non coercita in alterã partem vſus, abſtinentiæve. Cuiuſmodi veſtes ſunt, & cibi, & loca, & tempora, & quæcunque eo accedunt. Itaque proteſtamur, non venire in hunc cenſum, quæcunque ſunt virtutes, vitiave, amorem Dei, & proximi, honorem parentum, caſtitatem, modeſtiam, fidem: idololatriam, blaſphemiam, homicidium, ſcortationem, furtum, mendacium, & quæcunque ſimiliter poterunt nominari. Nam in his neceſſitatem agnoſcimus, vt nemini liceat vnquam vtramuis vſus partem pro arbitrio moderari. Itaque in illis ſolis hanc conſtituimus libertatem, de qua nunc agendum.

IV. Deinde hanc libertatem his exprimimus verbis, *vt nulla earum rerum religione teneamur coram Deo, quin eas liberè vſurpemus & omittamus.* Vbi notanda religio coram Deo: & quidem earum rerum religio: non enim otioſe nominata. Nam ſignificat religio ſcrupulos illos, quibus vrgeri ſolet conſcientia, quum ſuos actus refert, non ad hominum placita, ſed ad Dei voluntatem. Itaque hac exceptione ſummouentur omnes conſiderationes non religioſæ, ſed ſeculares. Neque enim derogatum volumus legibus politicis, quibus iuberi, prohiberive poſſe concedimus, quidlibet; arma, veſtes, cibos, coniugia, & alia pleraque, quorum numerus iniri non poteſt.

V. Tum autem ipſarum rerum religionem dicimus, nimirum, vt ipſas per ſe conſiderandas ſignificemus. Concedimus enim variari certis circumſtantijs, vt κατά τι non liceat, quod tamen ἁπλῶς, prohibitum non ſit. Nimirũ quoties accidit, vt lædatur aliquod morale præceptum. Vnde Paulus, 1. ad Corinth. 8. *Si eſca facit, vt offendat frater meus, non veſcar carnibus in æternum, nec faciam vt frater meus offendatur.* Nempe cauſa in promptu, ad Roman. 14. *Si propter eſcam frater tuus triſtitia afficitur, nõ iam ſecundum charitatem incedis.* Hoc cum fit, religione ſit illud quidem: ſed non religione cibi ipſius: at religione ſcandali.

VI. In huiuſmodi ergo rebus omnibus, duo nobis axiomata proponit Paulus. Vnum, ad Roman. 14. pertinens ad rerum ipſarum naturam: ideoque firmum, ratum, & perpetuum, *Noui & perſuaſum habeo per Dominum Ieſum, nihil eſſe impurum per ſe: ſed ei, qui exiſtimat aliquid eſſe impurum, id ei impurum eſſe.* Appelletur hæc, ſi placet, Regula conſcientiæ, quam nulla mutet, tollatve circumſtantia.

VII. Alterum 1. ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent: at non omnia conducunt: omnia mihi licent: ſed ego non redigar ſub vllius rei poteſtatem.* Et c. 10. *Omnia mihi licent: at non omnia conferunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Appelletur autem ſanè regula prudentiæ: quandoquidem prudentia circa res eas verſatur, quæ non habent ſe ſemper eodem modo : ideoque iudicandæ ſunt ex comparatis varijs circumſtantijs: vt ſi ſolus ſis, vel cum alijs, quos Apoſtolus δυνατοὺς *firmos* vocat, tum ſanè liberè, licenterque comedito quaſcunque carnes, etiam εἰδωλοθύτους, nihil interrogans conſcientiæ cauſa, tuæ quidem: at ſi cum fratre ἀδυνάτῳ, cui durum ſit, imo impurum veſci εἰδωλοθύτοις, tum ſanè carnibus ijs abſtineto : atque hoc modo libertatem tuam prudenter accommodato ædificationi eorum, quibuſcum tibi conuerſatio eſt.

VIII. Hæc noſtræ fidei hac quidem in parte ſumma eſt: quam in Papatu miſere labefactari dolemus. Labefactari autem? Mollius dixi, quam pro tanto peccato: hoc fuerat potius dicendum, periſſe de medio Papatu libertatem Chriſtianam, qua publicis, qua priuatis ſuperſtitionibus peſſundatam. De quibus agendum deinceps, nec breui labore. Prius, de Conſtitutionibus Eccleſiæ, tum de Votis, qui duo ſunt vberrimi ſuperſtitionum fontes.

## Cap. VIII.

### *De Legibus Eccleſiæ.*

I. DE Autoritate Eccleſiæ in conſtituendis legibus diſputarunt, Alphonſus de Caſtro, lib. 6. hæreſi 3. de Eccleſia. Conradus Klingius lib. 3. c. 24. & 25. Pereſius de Traditionibus, p. 3. de tertio fonte Sacrarum traditionum cap. 1. Petrus Lizetus de Mobilibus Eccleſiæ præceptionibus. Vaſques in 1. 2. diſp. 152. Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. c. 15. & ſeq. Stapletonus in Relectione controu. 5. q. 7. Gretſerus Apologiæ Bellarmin. tom. 2. lib. 4. c. 16. & ſeqq. Hi Papiſtæ. Catholici, Caluinus Inſtitut. 4. cap. 10. Sibrandus, Sutliuius, Witakerus, Danæus, Iunius, aduerſus eam Bellarmini controuerſiam.

II. Quæritur, vtrum Eccleſia poſſit leges condere. Eccleſiam autem intelligimus vtrique, non, quomodo omnes omnino fideles intelliguntur, ſed quomodo, ij penes quos eſt omnium fidelium gubernatio: vt Matth. 18. *Dic Eccleſiæ.* Leges autem etiam alias ab ijs, quæ iam latæ ſunt authoritate diuina. Nam has iam latas, nihil opus eſt ferri de nouo, alioquin Verbum Dei, non eſſet æternum. Itaque de rebus quæſtio eſt penitus ἀδιαφόροις, quæque per ſe, ſiue vſurpatæ, ſiue omiſſæ peccatum nullum habent. Denique Eccleſiam nominantes, hanc controuerſiam ſeparamus, ab ea quæſtione, quæ diſputat de Magiſtratibus Politicis, ſiue ſecularibus.

III. Nam de Magiſtratibus manifeſta noſtra ſententia eſt, in Confeſſione Gallicana, art. 40. & 41. *Credimus Deum velle mundum legibus, & politia*

*gubernari, vt aliqua ſint frena, quibus immoderatæ mundi cupiditates coerceantur: ideoque conſtituiſſe regna, Reſpublicas, & reliquas principatuum ſpecies, ſiue hæreditario iure obueniant, ſiue minus, neque id duntaxat, ſed etiam quicquid ſpectat ad ſtatum iuſtitiæ, quam vocant, cuius autor agnoſci poſtulat. Ideo etiam gladium in Magiſtratuum manus tradit, reprimendis nimirum delictis, non modo contra ſecundam tabulam: ſed etiam contra primam commiſſis. Oportet igitur, propter illum huius ordinis autorem non tantum pati, vt ij dominentur, quos ille nobis præfecit, ſed etiam honore, & omni reuerentia eos proſequi, tanquam eius legatos ac miniſtros, ad legitimum, & ſanctum munus obeundum ab ipſo deſignatos. Affirmamus ergo parendum eſſe legibus, & ſtatutis, ſoluenda tributa: & reliqua onera perferenda, ſubiectionis denique iugum voluntariè tolerandum, etiam ſi infideles fuerint magiſtratus, dummodo Dei ſummum Imperium integrum, & illibatum remaneat. Itaque deteſtamur omnes eos, qui dominationes repudiant, communitatem, & confuſionem bonorum inuehunt: omnem denique iuris rationem euertere moliuntur.* Hæc noſtra Confeſſio eſt: plene purgans quaſcunque calumnias; quibus aduerſarij nos hac parte conantur onerare.

IV. Sed de autoritate Eccleſiæ, noſtrum ſenſum exprimit eadem confeſſio art. 33. & 34. *Credimus expedire, vt qui electi ſunt Eccleſiæ alicuius præfecti, inter ſe diſpiciant, qua ratione totum corpus commode regi poſſit. Ita tamen, vt ab eo quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituit, nuſquam deflectant. Hoc autem non impedit, quominus quædam ſingulis locis peculiaria ſint inſtituta, prout commodum viſum fuerit. Excludimus autem humana omnia commenta, & leges omnes, quæ cultus Dei prætextu, adſtringendis conſcientiis inuehuntur, & eas tantum admittimus, quæ fouendæ concordiæ, & vnicuiq; in obedientia debita retinendo, ſubſeruiunt, quæ in re ſequendum nobis putamus, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus de excommunicatione ſtatuit: quam quidem approbamus, & vna cum ſuis appendicibus neceſſariam eſſe arbitramur.*

V. Ad propoſitam ergo quæſtionem in promptu nobis reſponſio eſt. Poſſe Eccleſiam leges condere: vt ne nobis obijciatur, aut Ioannes de Veſſalia negans Apoſtolos, prælatoſve Eccleſiæ habere à Chriſto autoritatem condendi Canones, ſiue leges: aut Begardi, Beguinæve, aut ſi quid eſt nominum ſimilium apud Alphonſum de Caſtro. Abſit, vt huiuſmodi quicquam nobis in mentem venerit, quantumcunque debacchetur calumnia.

VI. Veruntamen fatemur nos hanc condendarum legum autoritatem agnoſcere non immenſam, ſed ſuis certis limitibus deſcriptam. Itaque primũ negamus, eandem eſſe legum iſtarum authoritatem & momentum cum legibus diuinis, aut peccari tam grauiter illarum, quam harum tranſgreſſione. Secundo, negamus poſſe rerum naturam immutare, vt quæ per ſe erant adiaphoræ, fiant neceſſariæ: adeo vt nunquam, vllave cauſa, aliter liceat, quam eſt conſtitutum. Tertio, in ijs vllam eſſe partem iuſtitiæ Chriſtianæ, multo magis vllum meritum apud Deum. Quarto, porrigere ſe vltra Eccleſiaſticam εὐταξίαν, ſiue politiam, quæ conſiſtit in ijs, quæ non pietatis ſunt propriè, ſed tantum propter aliud, & per accidens tantum: vt exempli gratia, in ieiunio nulla pietas eſt, niſi quatenus vtile interdum teſtandæ internæ pœnitentiæ, & præparationi ad preces.

VII. Ruſus has leges dicimus non ex ſe metiendas, ſed ex diuinis: nimirum, vt ne quoquo modo eis officiant, ſed ſubſeruiant potius: hunc ſcilicet, finemque, & vſum habentes, vt & cognitionem; & obedientiam adiuuent earum in quibus propria iuſtitia eſt. Denique oportere eſſe non multas: adeoque quo pauciores ſint, hoc meliorem fore Eccleſiæ ſtatum.

VIII. In earum tranſgreſſione peccatum nullum eſſe poſſe, niſi indirectè, hoc eſt, non propter rei ipſius vſurpationem, quomodo in furto, aut homicidio: ſed propter aliud: idque tripliciter. Primo, ſi ſit ex contemptu authoritatis legitimæ: nam, quia mandata eſt à Deo obedientia: proculdubio in ea neglecta, peccatum eſt. Secundo. Si cum neglectu fraternæ ædificationis. Denique ſi ex propria impietate, & prophana licentia, intemperantive luxuria. Sed hæc ſi abſint omnia, quod frequenter accidere poteſt, negamus in ijs legibus tranſgrediendis vllum eſſe peccatum. Quod longe aliter accidit in legibus diuinis, quarum tranſgreſſio nullo vnquam caſu excuſari poteſt, ne illa quidem quam dicunt inuincibilem ignorantiam, vt patet idololatriæ, homicidij, adulterij, furti exemplo.

IX. Itaque non mutari per leges Eccleſiæ, rerum ipſarum naturam, quo minus indifferentes ſint, & cum vetantur, & cum prohibentur. Tantum cõtrahi vſum: vt qui prorſus liber eſt, & vſurpatur, negligiturve, tum pro arbitrio, tum etiam fortuito, accommodetur ordini vtili, imo Eccleſiæ neceſſario: ac proinde iudicetur ex hac Pauli regula, *Omnia licent, ſed non omnia expediunt.* Et, quia non eſt omnium, ſiue temporum, ſiue locorum eadem ratio, ac proinde non ſemper eadem vbique expediant: propterea nẹ vbique quidem, aut ſemper valere leges huiuſmodi. Et vero nullam poſſe dari, quæ non fuerit variata: excepta fortè vnica die Dominica, propter additum myſterium: quanquam ne huius quidem ſolennitas eadem fuiſſe videtur ab initio.

X. Hæc noſtra ſententia eſt. Papiſtæ longè ſeuerius. Has leges ligare cõſcientiam, ita enim loquuntur, nec poſſe violari abſque peccato mortali. Audi Lizetum c. 2. lib. 3. *Si quis, vel mediocriter in ſacris eruditus literis, attentius quæ ad hanc rem pertinent animaduertere velit, mox illi in propatulo erit Eccleſiaſticis mandatis, non ſecus ac pene diuinis, & Euangelicis, ad æternæ mortis pœnam obligatiuam ineſſe vim.* Pereſius, ne extra caſum quidem ſcandali, conſcientias ſubditorum eſſe liberas à præceptis Epiſcoporum: ſed deberi eis obedientiam ſecundum conſcientiam. Bellarminus, *In Eccleſia Catholica ſemper creditum eſt, Epiſcopos in ſuis diœceſibus, & Romanum Pontificem in tota Eccleſia eſſe veros principes Eccleſiaſticos, qui poſſint ſua autoritate, etiam ſine plebis conſenſu, vel Presbyterorum conſilio, leges ferre, quæ in conſcientia obligent.* In quo quantum ſit momenti, docet experientia, quæ vix quicquam permiſit liberum à ſuperſtitione, hacque ipſa tanto immaniori, quanto certius cõſtat, longè maiori diligentia huiuſmodi leges obſeruari, quam ipſas diuinas: adeoque ſeuerius violationem puniri: vt non defuerint, qui in ſermonibus ad populum dixerint, præſtare hominem occidere, quã carnes guſtare in Quadrageſima: & Ieſuitarum recens apophthegma eſt, longe peius peccare Sacerdotem ſi ducat vxorem, quam ſi vel concubinam foueat, vel etiam paſſim ſcortetur.

## CAP. XI.

### *De Sacerdote Veteri. De ligando, & paſcendo, & de miſſione Apoſtolorum.*

I. Excutiamus argumenta, & primum Bellarmini è Scriptura. Primus ergo locus eſt illi ex Deuter. cap. 17. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Argumenti forma. Si Iſraelitici Sacerdotis præcepta erant vere imperia, & obligabant conſcientiam: Ergo & Chriſtiani. Conſequentia patet, quia non eſt minor authoritas Sacerdotis Chriſtiani, quam Iſraelitici. Antecedens patet, primo ex iis verbis, *Sacerdotis imperio.* Deinde, quia quicunque poteſt præcipere, poteſt etiam actum indifferentem facere neceſſarium, & per ſe bonum. At omittere bonum neceſſarium, & per ſe bonum, eſt peccatum in conſcientia, etiam citra contemptum & ſcandalum. Probatur illud, Quia actus indifferens, ſi præcipiatur, iam erit neceſſarius, alioqui fruſtra præcipitur. Hoc probatur: quia ſequeretur leges Dei poſitiuas non obligare in conſcientia.

II. Reſpondeo, Sacerdotis Veteris imperia, vt & nouorum, duplicia eſſe poſſe: alia quæ referrent ipſa Dei mandata: alia vero, quibus priuatæ ipſorum Sacerdotum conſtitutiones proponerentur. De prioribus, nulla controuerſia eſt, quin obligent conſcientiam: non propter ipſius Sacerdotis autoritatem, ſed Dei, à quo ea præcepta Sacerdos habet. Quomodo in Republica, etiam pedaneus iudex: Imo quicunque ὑπηρέται, autoritatem prætendunt regiam. Deus autem ſua autoritate conſcientiam vere obligat, quicquid tandem præcipiat: vt patet in Ceremoniis Iudaicis: & in Sacramentis Chriſtianis. Sed de iſtius modi præceptis nulla nobis nunc diſputatio eſt.

III. Verum de præceptis priuatis, quæ fundamentum nullum habent præter Sacerdotis autoritatem, ac voluntatem, primo negari poteſt conſequentia: quia falſum, tantam eſſe autoritatem Sacerdotum Chriſtianorum, quantum Iſraeliticorum. Ratio eſt, quia Sacerdotes illi non tantum erant miniſtri: ſed etiam typi Chriſti. At noui; ſunt non typi, ſed duntaxat miniſtri. Ideoque ſummus ille Pontifex imperium habebat ſummum in vniuerſam Eccleſiam Iſraeliticam, quale nulli competit Chriſtiano.

IV. Deinde negatur præcipuè antecedens. Neque enim verum, Pontificis Iſraelitici præcepta, diſparata à præceptis Dei, obligaſſe vnquam vllius Iudæi conſcientiam, aut res vllas ex indifferentibus feciſſe neceſſarias per ſe. Neque vero locus Deuteronomij quicquam probat eiuſmodi. Imo contra. Diſertè, *Iuxta legem quam docuerint te, & iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies.* Quæ Latinus Interpres luxauit, *Iuxta legem eius: ſequeriſque ſententiã eorum.* Quod etſi ferri poteſt, tamen Hebraica ſunt clariora. Nam docere, legem, eſt iam latam proponere, & inculcare. At nos de ijs agimus, non qui latam docent, ſed qui nouam ferunt. Et negamus, ſi autoritas ſit magna eius, qui legem diuinam docet: futuram non minorem eius, qui ſuam ferat.

V. At Sacerdotis imperium nominatur. Ita eſt, inquam, ſed primo Latinè tantum, non Hebraicè, non etiam Græcè. Itaque non ex mente Moſis, id eſt, Scripturæ. Tum autem, quid tum? An quia nullum imperium eſt, niſi legem ſuam ferentis? Imo 1. ad Timoth. cap. 4. *Hæc præcipe*, inquit Paulus: qui tamen hortabatur Timotheum ad inculcanda, non ſua inuenta, ſed accepta præcepta.

VI. Quod addit, qui poteſt præcipere, eundem poſſe actum indifferentem facere neceſſarium, & per ſe bonum, propter ambiguitatem infirmum eſt. Nam cum præcipiat, non is tantum, qui ſuam legem fert: ſed is etiam, qui alienam inculcat: ſi de illo Sophiſta loquatur, τὸ ζητούμενον συναρπάζει: nam hoc modo, vtrum præcipere poſſit Eccleſia, in controuerſiam vocatur: & locum Deuteronomij oſtendimus non huc facere. Sin autem de altero, falſum enunciat. Non enim is, qui ſic præcipit, rem facit neceſſariam, ſed is cuius ille præceptum recenſet, & rurſus de hac præcipiendi autoritas eſt ἐξ ἐπιτάγματος.

VII. Quia tamen conceſſimus, eſſe etiam Eccleſiæ ſuam autoritatẽ præcipiendi de rebus indifferentibus, negamus, quicunque præcipiat, hunc ſtatim id, quod præcipit, efficere neceſſarium per ſe: ſed ſolum Deum: reliquos omnes tantum κατά τι, & ſecundum certas circumſtantias. Quod autem Bellarminus ait, actum indifferentem, ſi præcipiatur, ſtatim reddi neceſſarium: verum eſt de actu vno particulari: ſed hic alius eſt à re ipſa. Exempli gratia, Si indicatur ieiunium in vnam diem, redditur neceſſarius actus ieiunandi, ſed eo vno tantum die: ideoque non ſimpliciter: itaque non minus manet indifferens per ſe ieiunium, quia per ſe neceſſarium, non poteſt aliter ſe habere.

VIII. Nec vero metuendum, ne propterea leges Dei poſitiuæ non obligent conſcientiam: eſt enim longè alia ratio Dei & hominum. Cum Deo propriè & per ſe ſubſit conſcientia: nulli autem hominum, niſi per accidens, id eſt, propter Deum.

IX. Nam quod addit, non poni has leges, à Deo tanquam Deo, ſed tanquam legislatore: ideo omnem verum legislatorem poſſe idem facere: mirũ eſt cuiquam potuiſſe in mentem venire: eſt enim vehementer falſum. Poni à Deo tanquam legislatore, verum: ſed non poni tanquam Deo, abhorret à pia mente. Quanquam, quorſum mihi illud, *ponere legem?* Nam ego quæro de obligatione conſcientiæ: at etſi conceſſerim ponere Deum has leges, tanquam legislatorem: nego tamen obligare conſcientias, niſi quatenus latas à Deo. Hoc Bellarmino fuerat non ſumendum, ſed probandum. Quantus enim ille legislator eſt, vt eius noſtram placita conſcientiam teneant?

X. Secundus locus ex Matth. 16. *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Ligare, inquit, eſt legem imponere, Matth. 20. *Alligant onera grauia.* Chriſtus loquitur generaliter: ideoque eius verba referri poſſunt, & debent, ad omnia, quæ ſecundum vſum Scripturæ dicuntur ligari. Ergo Dominus Petro promiſit, vt quicquid ipſe ligauerit, id eſt, quam obligationem præcipiendo ipſe fidelibus impoſuerit, ſit ligatum & in cœlis. Ergo præceptum Petri eſt præceptum Chriſti: ergo peccat, qui non obtemperat.

XI. Reſpon-

XI. Reſpondeo, falſo poni, ligare eſſe legem imponere. Nam hoc loco nihil ſignificat præter potentiam clauium in remittendis, retinendiſve peccatis. Teſtes ſunt qua Veteres, qua recentes. Veteres quidem, Auguſtinus in Ioann. tract. 50. *In Eccleſia fit, vt qua in terra ligantur, in cœlo ligentur, & qua ſoluuntur in terra, ſoluantur in cœlo: quia cum excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur excommunicatus.* Theophylactus, κλεῖδας δὲ νόησεις τὰς δεσμούσας, καὶ λυούσας, τὰς τῶν σφαλμάτων ἢ συγχωρήσεις, ἢ ἐπιτιμήσεις: *Claues intelliges, qua ligant, & ſoluunt, ſcilicet peccatorum tum condonationes, tum punitiones.* Anſelmus, *Ligare & ſoluere, eſt ſuper terram viuos excommunicare & abſoluere.* Hieronymus, *Quomodo ibi* (in Veteri Teſtamento) *leproſum ſacerdos, mundum vel immundum facit: ſic & hic alligat, vel ſoluit Epiſcopus & Presbyter: non eos, qui inſontes ſunt, vel noxij: ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſoluendus.*

XII. Recentiores noſtros omitto, omnes conſentientes: Papiſtas recenſeo. Maldonatum, *Hæc etiam metaphora eſt, qua idem, quod duabus ſuperioribus, ſignificatur, ſupremam remittendi, aut retinendi peccata poteſtatem, Petrum habuiſſe.* Franciſcum Lucam, *Volens Ieſus declarare ſupremam poteſtatem Simoni proximis verbis promiſſam, adfert in exemplum vnum quoddam, præcipuū ex multis, quod erit poteſtatis ipſius, quod penes ipſum erit ſumma omnium vitæ ſpiritualis, mortiſq; autoritas, quod quoſcunq; peccatis obſtrictos poterit, vel iuſtè punire, vel clementer ſeruare.* Sa, *Id eſt, quemcunq; indignū remiſſione iudicaueris, dū viuit, apud Deum indignus iudicabitur.* Driedonem de Lib. Chriſtian. lib. 2. cap. 2. qui cum duplices dixit eſſe claues, vnam ſcientiæ, quæ diſcernat inter lepram, & lepram, tum, *Alia,* inquit, *eſt clauis poteſtatis, per quam ſecundū conditionē tribunalis, tā interioris, quā exterioris ex actis iudicialiter cognitis, ſoluit & ligat, abſoluit, vel condemnat pœnitentes, vel impœnitentes, ſecundum peccatorum varietates, quas audiuit.* Stapletonum de Principijs libri 6. cap. 1. Omnium doctorum Scholaſticorum ſententia, verbis illis, *Quæcunque alligaueritis, quæ ſane his verbis ad Petrum dictis, ſimilia ſunt, idemque prorſus ſonant, conſtituitur iudex Eccleſiaſticus in foro exteriori.*

XIII. Ex his patet illud *ligare, & ſoluere,* verſari circa peculiares actus, hominum ſingulorum, prout ſunt virtutes, aut vitia: non vero leges complecti, quarum ab illis infinita differentia eſt, cum leges ſint τῶν καθ' ὅλα, at vitia, virtuteſve, τῶν καθ' ἕκαστα. Quomodo pedanei iudices pronuntiant, quid iuris ſit Titio in Mæuium; non ipſi legem ferentes, ſed potius ſecundum leges latas. Et ſic Ariſtoteles Politic. 4. cap. 4. diſparauit, τοὺς νόμους, καὶ τὰς ἀρχάς. Δεῖ γὰρ, inquit, τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων, τῶν δὲ καθ' ἕκαστα τὰς ἀρχὰς, καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν. *In rebus vniuerſis leges valere debent: & de rebus ſingulis proprium magiſtratuum, reique publicæ iudicium eſt.*

XIV. Cum ſit ergo verum, longè aliud eſſe, ferre leges vniuerſales, aliud iudicare ſigillatim de Titio, & Mæuio: hic autem locus agat de iudicijs ſingularibus, manifeſtum eſt argumenti vitium: quandoquidem non ſit neceſſe eum legem ferre, qui priuatas cauſas iudicet. Nam quid tum, ſi alibi vſquam ligare, ſumatur pro legem conſtituere? Non enim alij loci citantur à Bellarmino, in quibus leges ſignificantur: ſed iſte, in quo particulares cauſæ. Quare omnino falſum, verba Chriſti referenda ad omnia omnino, quæ dicuntur ligari.

XV. Tertium locum Bellarminus numerat ex Ioann. 21. *Paſce oues meas.* Vbi exhibiturus Petro Chriſtus quod promiſerat, Matth. 16. vtitur regio vocabulo, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.

XVI. Sed nouit Bellarminus, τὸ ποιμαίνειν non eſſe verbum regium. Geneſ. 30. πάλιν ποιμανῶ τὰ προβάτιά σου, inquit Iacob Labano. Exod. 3. Μωυσῆς ἦν ποιμαίνων τὰ πρόβατα Ἰοθὸρ τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ. Primi Samuel. 17. ποιμαίνων τὰ πρόβατα τοῦ πατρός. His atque alijs plurimis locis verbum eſt ſeruile. Fateor aliquando regibus tribui per metaphoram: ſed regium propterea, quis vnquam appellarat? Nimirum θαῦμα ἰδέσθαι χρῆμα, vir eſt Ieſuita habens in arbitrio proprio, & Theologiam, & Grammaticam, & Rhetoricam, & quid non? Beatus nouo hoc regno: ſi mens adeſſet ſana. Sed hic certè æquè ridendum vocabulum regium, ac alibi Cotoni coniugatio Sacra, vt ex הוציא ſacrificium Melchiſedeci conficiat. Interea verum, paſci oues alienas ab ijs, penes quos ius nullum ſit leges ferendi de ouibus: ſed iam latis vtendi. Verum rurſus Eccleſiæ Paſtores, non ſuas paſcere oues, ſed Chriſti. Ianſenius, *Pronomen meas, indicat Eccleſiæ Paſtores, non debere ſibi commiſſos habere veluti ſuos, quibus tanquam Domini præſint, ſed tanquam alieni Domini, qui eos ſibi emit proprio ſanguine, cui paſtores aliquando ſint de commiſſis ouibus rationem redditur. Vnde hanc formam ſibi præſcriptam probè intelligens Petrus, eadem explicatius alijs tradit paſtoribus, ſic ſcribens, Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Nonne ergo contra Bellarminum luculentiſſima concluſio, à Paſtoribus Eccleſiam paſci, legibus non ſuis, ſed Domini?

XVII. Quarto loco profertur ex Ioann. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* At Chriſtus miſſus eſt à Patre cum poteſtate non ſolum prædicandi, & Sacramenta miniſtrandi: ſed etiam præcipiendi, & iudicandi: Ergo & Apoſtoli à Chriſto ſimiliter.

XVIII. Reſpondeo, primo nihil concludi aduerſum nos: qui & præcipiendi, & iudicandi partes concedimus Paſtoribus: & duntaxat diſputamus de legibus ferendis, quæ obligent conſcientiam: qua de re nihil eſt in verbis Bellarmini. Itaque poſſemus argumentum diſſimulare: nam præcipiunt, vt antè diximus, etiam qui aliena mandata proponunt: & iudicant de more iudices ex legibus principum.

XIX. Verumtamen reſpondeo, miſſum eſſe à Patre Chriſtum, non tantum ad ferendas leges, ſed etiam ad prædicandum verbum, & adminiſtranda Sacramenta, teſte ipſo Bellarmino. Itaque qui miſſus eſt à Chriſto, ad hæc ipſa præſtanda, miſſus eſt, ſicut Chriſtus à Patre ſuo: etiam ſi non ſit miſſus ad ferendas leges. Res eſt manifeſta. Nam ne longius abeam, Miſſus eſt Chriſtus à Patre ad redimendum ſuo ſanguine genus humanū: at Apoſtoli, aut vlli Paſtores miſſi non ſunt in eum finem: & tamen miſſi, ſicut miſſus eſt Chriſtus. Nimirum poſito genere, non ponuntur ſtatim quælibet ſpecies: ſed vna duntaxat aliqua. Quæ conſideratio in omni comparatione ſimilitudinis eſt neceſſaria, quæ vix vnquam ἁπλῶς proponitur, ſed tantum κατά τι. Cum enim reſpectus dentur varij, non eſt neceſſe, vt quæ ſimilia dicuntur, ea ſecundum omnes reſpectus ſimilia ſint, cum ſufficiat vel vnicus.

XX. At, inquit, Chryſoſtomus exponit, *Suum eis reliquit miniſterium.* Theophylactus, *Opus meum ſuſcipite.* Imo, inquam, Interpretum diuerſa ſunt vocabula, miniſterium, & opus: non autem Chryſoſtomi, & Theophylacti, quorum vterque ἔργον dixit, hoc eſt, exſecutionem, ſiue laborem eius muneris, quod gerebat. At hoc ἔργον differt ab autoritate legum ferendarum. Itaque vocantur ὑπηρέται τοῦ λόγου. Lucæ primo, Et διακόνους καινῆς διαθήκης, Poſt ad Corinth. Et amē idipſum per miniſterium ſignificatur: itaque profecto non intereſt, vtrum dicas opus, an miniſterium. Sed conſtat tamen munus Chriſti Apoſtolis commiſſum, primum non totum, vt dixi, ſed κατά τι: quomodo autoritatem ſuam rex dat proregi, quanquam non totam. Secundo, non tanquam ſucceſſoribus: ſed tanquam vicarijs, nimirum, vt eo defungerentur, non proprio nomine, ſed alieno. Solent autem, qui alieno præſunt nomine, alligari legibus latis ab eo, à quo pendent.

---

## Cap. X.

### *De prohibitis Idolothytis, ſanguine & ſuffocato.*

I. De quinto prolixius diſputatur, Actor. 15. Petrus cum alijs Concilij Patribus, ſcribit Gentibus ad fidem conuerſis, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & fornicatione.* Hic nouam Apoſtoli legem condunt: eſſe nouam, probatur, primum, teſte Chryſoſtomo: ſecundo, quia de ſuffocato, & ſanguine nihil præceptum erat à Chriſto: nec ſicut naturæ bona, vel mala, ſed indifferentia.

II. Eſſe vero legem obligantem conſcientiam ſaltem pro tempore, probat. Primum, quia vocant onus Apoſtoli, *Nihil,* inquiunt, *vltra imponere oneris.* Secundo, quia dicunt eſſe neceſſaria: vnde ſequitur, neceſſario obſeruanda, non libere, Tertio, quia Lucas abſolutè præcepta appellat. Cap. 15. *Pertranſiens ciuitates præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolica & Seniorum.* Cap. 16. *Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ decreta erant ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant in Hieruſalem.* Cap. 4. Chryſoſtomus hom. 33. in Acta, *Vide,* inquit, *breuem Epiſtolam, neque epicheremata, neque ſyllogiſmos habentem, ſed imperium. Erat enim Spiritus legislatio.* Quinto, ex Tertulliano, Apologetici cap. 9. Origene 8. contra Celſum. Euſebio 5. hiſtoriæ cap. 11. de Blandina. Auguſtino, Epiſtola 154. Concilij Gangrenſis Canone 9.

III. Reſpondeo, Primum, nihil inde confici contra Theſin: quia non eadem ſit autoritas Apoſtolorum, & reliquorum Eccleſiæ Paſtorum. Illis aderat extra ordinem Spiritus Sanctus: adeo vt quæ illi proponerent, a Deo ſimpliciter manarent. At reliquis Paſtoribus adſiſtentia Spiritus nulla extra ordinem: itaque ne eorum quidem Sanctiones eodem loco habitæ cum Apoſtolorum ſanctionibus: præcipuum autem diſcrimen in obligatione conſcientiæ, quæ ſe teſtem habet, Deum ſolum iudicem: ideo, cum habet aliquid imperatum à Deo, non poteſt non obſtringi. Quare, etſi hæc Apoſtolorum eſſet lex, & lex noua: tamen nihil eſſet in hac controuerſia promotum, quæ agit, non de Apoſtolis, ſed de ordinarijs paſtoribus.

IV. Secundo, negatur ea lex eſſe noua: Erat enim potius repetitio veteris, quæ in Eccleſia Iſraelitica vigebat. Hanc Apoſtoli volunt interim, & ad tempus obſeruari, donec abſque ſcandalo, penitus omitti queat. Chryſoſtomus, ἀπὸ τοῦ νόμου ταῦτα λαμβάνουσι, *A lege hæc accipiunt.* Oecumenius, ἀπὸ τοῦ νόμου ταῦτα λέγουσι: *Ex lege hæc dicunt,* Atqui vetera retinere, longe aliud eſt, quam noua inſtituere.

V. Chryſoſtomum contra teſtem falſo citat Bellarminus: nec obiter aut ſemel: ſed bis, & ſerio. Nam ſecundo, *Chryſoſtomus,* inquit, *dicit hanc eſſe nouam legem.* Quid impudentius? Nam hoc certè nunquam dixit Chryſoſtomus. Lege, ταῦτα ἡ καινὴ οὐ διέταξεν· οὐδαμοῦ γὰρ περὶ τούτων διελέχθη ὁ Χριστός, *Hæc,* inquit, *noua lex non diſpoſuit: nuſquam enim de iis Chriſtus diſſeruit.* Verè, ſed non ad Bellarmini mentem. Verumtamen, inquit, nihil præcepit Chriſtus: nec bona ſunt, aut mala naturæ. Fateor, inquam, ſed conclude: ergo noua lex eſt: ridiculus fueris.

VI. Gretſerus excipit, legem Moſis abrogatam fuiſſe morte Chriſti. Ergo non potuit Chriſtianos obligare, niſi denuo ſanciretur. Aſt ego de abrogatione legis, repeto Auguſtini ſententiam ex Epiſtol. 19. *Paulum & alios rectæ fidei Chriſtianos, tunc illa vetera Sacramenta paululum obſeruando veraciter commendare debuiſſe, ne putarentur illæ propheticæ ſignificationis obſeruationes, à pijſſimis Patribus cuſtoditæ, tanquam ſacrilegia diabolica, à poſteris deteſtatæ. Iam enim, cum veniſſet fides, quæ prius illis obſeruationibus prænunciata, poſt mortem & reſurrectionem Domini reuelata eſt, amiſerant tanquam vitam officij ſui. Verumtamen, ſicut defuncta corpora neceſſariorum officijs deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulatè, ſed religioſe: non autem deferenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morſibus proijcienda.* Abrogatam ergo legem, ſcimus ipſa morte Chriſti: ſed non vt malam, & deteſtandam. Ideoque, vt nihil ei concedi poſſet, ne propter fratrum quidem ædificationem.

VII. Concedo, non potuiſſe Chriſtianos obligare: ſed non potuiſſe Chriſtianis commendari ad tempus, negat Auguſtinus: nos etiam negamus. Et negamus, ſic commendare veterem legem, idem eſſe quod nouam ſancire. Quantumuis Gretſerus obſtrepat.

VIII. Tertio negatur ea lex obligaſſe conſcientias Chriſtianorum: quomodo nos obligationem conſcientiæ definiuimus: ſiue hæc ita ſancita fuiſſe, tanquam per ſe neceſſaria. Argumenta Caluinus habet tria, quæ ſigillatim Bellarminus ſperauit ſe confutaturum. Hæc videamus, poſt Bellarminiana diſcuſſuri.

IX. Primum Caluini argumentum: Si Apoſtoli hanc legem propoſuiſſent tanquam neceſſariam: ergo euertiſſent ipſi ſuum decretum. At hoc abſurdum. Ergo illud falſum. Ratio conſequentiæ, quia contraria ſeſe mutuo deſtruunt. Sunt autem contraria, liberare conſcientias ab onere legis, & eaſdem alligare ceremonijs legis. Voluiſſe autem liberare, manifeſtum, tam ex ſtatu quæſtionis diſputatæ in eo Concilio, quam ex ſuffragijs.

X. Bellar-

X. Bellarminus negat conſequentiam:& ad probationem:negat pugnare obligationem huius præcepti,cum ſcopo,& fine illius decreti. Primo, quia aliud ſit libertas ab obſeruatione legis Moſaicæ, aliud, libertas ab obedientia prælatorum. Hæc autem abſtinentia à ſuffocato & ſanguine, impoſita ſit, non tanquam ex lege Moſis,ſed vt Apoſtolicum & Eccleſiaſticum. Secundo, quia liberauerint Apoſtoli Chriſtianos ab obſeruatione innumerabilium cæremoniarum:ſolam autem vnam eamque facilem,& ad tempus breue duraturam imperauerint.

XI. Atqui primo liceat-ne Bellarminum imitari? Is paulo ante, *Et ſi finis præcepti Apoſtolici erat, ne ſcandalizarentur infirmi: tamen præceptum ipſum nõ cadebat ſuper vitationem ſcandali, ſed ſuper abſtinentiam ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato.* Ego ſimiliter. Etſi finis eſſet præcepti, vt præſtaretur obedientia prælatis,tamen præceptum ipſum non cadebat ſuper obedientiam prælatorum,ſed ſuper abſtinentiam ab immolatis. Viderit Bellarminus, vt tam ſuam ſibi offam reponi patiatur.

XII. Nunc ſerio. Primum omnibus præceptis, communem eſſe obedientiam prælatorum: ſed finem eſſe præceptorum nunquam, niſi ſupremi legislatoris. Nam Deo quidem obedire oportet, propter hoc ipſum, vt ei obediatur: eſt enim ei ſua voluntas pro ſumma ratione. Quod idem ſi dicas de ſubalternis prælatis, non tantum abſurdus, ſed etiam blaſphemus ſis. Atque adeo iidem Apoſtoli rationem reddunt huius præcepti, non ſuam autoritatem,ſed neceſſitatem. Differentiæ ergo rationem Bellarminus reddit, quæ eſſe non poteſt.

XIII. Secundo : Quid illud eſt, non tanquam ex lege Moſis, ſed tanquam Apoſtolicum? An, quia ſolius legislatoris perſona ſit mutata, eodem tamen manente onere? Atqui contra eſt Apoſtolorum conteſtatio, *Ne quid amplius imponeremus vobis oneris.* Et ratio ipſa dictat,non tolli ſeruitutem, ſi mutetur Dominus.

XIV. Præterea, ex lege Moſis prohibebantur illa, vt immunda. Atqui immunditiès omnis duplex eſt, vel à natura rei, vel à prohibitione. Iam lex Moſis non prohibebat, vt à natura immunda. Ergo tantum ſupereſt alterum genus immunditiæ. Immunditia autem iſthæc nulla in re conſiſtit, niſi in ipſa vſus inhibitione, quæ peccati cauſa eſt,hoc eſt, efficit, vt, qui contra præceptum iis vtatur, peccet, ac proinde, ſit immundus. Quid ergo efficit nunc Apoſtolica illa autoritas,quæ nunc prætenditur? Non ſanè im nunditiem à natura. Ergo ſolum à prohibitione.Rurſus, ergo inepta diſtinctio eſt, quæ in re nihil admittit diuerſum:ſed tantum in legislatoris perſona.

XV. Illud foret plauſibilius: multis ceremonijs deoneratos, vna tantum aut altera eſſe grauatos:ſed & contra teſtantur Apoſtoli nihil oneris voluiſſe impoſitum:& has ipſas idolothytorum,& ſanguinis, aliunde conſtat non relictas:vt paulo poſt fiet planum.

XVI. Alterum Caluini argumentum. Id ipſum præceptum ceſſauit tandem,quia deſijt ratio ſcandali. Ergo cauſſa eius præcepti fuit ſcandalum:non vlla rei neceſſitas.

XVII. Reſpondet; ceſſaſſe, non quia ceſſauit ratio ſcandali, quomodocunque:ſed quia ceſſauit vniuerſaliter.

XVIII. Mira ſolutio! Cuius ego fateor me ſenſum non videre, quod & Vuitakerus eſt ante confeſſus: cuius reſponſum ob ea cauſam Gretſerus inſenſatum vocauit, pro ſua modeſtia: nec quicquam tamen addidit, quo Bellarmini φλυαρίαν purgaret. Quid enim? Dixerat-ne Caluinus, ceſſaſſe ex parte tantum ſcandalum? Annon diſertè, *ceſſauit ratio ſcandali?* Nam hæc totidem verba deſcripſit Bellarminus. Ergo reſpondens, idipſum concedit, quod pro ſolutione Caluinus proferebat: ſic colligens. Si quæ lex ſtatuatur, tandiu perſtare eius vigorem,quandiu ratio ferendi integra eſt,itaque, ſi aboleatur lex, propter hoc illudve deficiens, tum hanc verè dici cauſſam legis. Vt in lege ciuili,quam in exemplum Gretſerus hic profert, prohibet Magiſtratus frumentum deferri ad exteras gentes:ea ſeruatur,quandiu annonæ caritas eſt:ſed exacto aliquo tempore, annona cum ſit vilis, tum eadem lex ceſſat: vnde manifeſta concluſio, annonæ caritatem, cauſſam fuiſſe legis. Similiter in hoc, de quo agimus, negotio: cauſſa prohibendi ſuffocati, datur,ſiue paſtorum autoritas, vt Papiſtis placet, ſiue, vt Caluino, ſcandalum Iudæorum. Vtri verius, ita conſtabit. Si paſtorum autoritas eſſet cauſſa, ergo ea durante duraret lex:atqui ea durante, non durat lex. Ergo non fuit ea legis cauſa. Maior manifeſta ex dictis. Minor certa ex reipſa: non enim deſijt autoritas Paſtorum in Eccleſia: Ergo concluſio ἀήττητος. Rurſus, id quo conſtante, conſtat, quo ceſſante,ceſſat lex, eſt vera cauſſa legis. At ſcandalo Iudæorum conſtante, conſtitit, ceſſante, ceſſauit lex ſuffocati. Ergo ſcandalum Iudæorum fuit vera cauſſa eius legis. Maior ex dictis vera:minor conſtat ex confeſſione aduerſariorum : ergo concluſionis veritas eſt ἀήττητος.

XIX. Tertium Caluini argumentum. Paulus, qui interfuerat Apoſtolorum Concilio, in quo hæc lex eſt lata, quique eam legem optimè intellexit,ita illam explicauit, 1. ad Corinth. 8. & 10. vt apertiſſimè docuerit, non eſſe abſolutè illicitum comedere idolothyta: ſed tantum propter ſcandalum. Cap. 8. *De eſu eorum, quæ idolis immolantur, ſcimus idolum nihil eſſe in mundo. Sed non in omnibus eſt ea ſcientia: nonnulli enim cum conſcientia idoli vſque ad hoc tempus, vt idolis immolatum edunt, & conſcientia eorum, infirma cùm ſit, polluitur. Cæterum eſca nos non commendat Deo: neque enim ſi veſcamur abundantiores ſumus, neque ſi non veſcamur, pauperiores reddimur. Sed videte, ne quo modo poteſtas illa veſtra offendiculo ſit ijs qui infirmi ſunt. Etenim ſi quis viderit te, qui ſcientia præditus es, in idoleo accumbere, nonne conſcientia eius, qui infirmus eſt, inſtruetur ad edendum ea quæ ſunt idolis mactata? & tua iſta conſcientia, frater, qui infirmus eſt, propter quem Chriſtus eſt mortuus, peribit? Ita autem peccantes in fratres, & vulnerantes ipſorum conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter, ſi eſca facit, vt offendat frater meus, non veſcar carnibus in æternum, nec faciam, vt frater meus offendat.* Decimo, *Quod ſi quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. At ſi quis vobis dixerit, hoc idolis mactatum eſt, ne edite, propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam, conſcientiam autem dico, non tuam, ſed illius alterius. Cur enim libertas mea damnatur ab alia conſcientia? Et ſi ergo per gratiam cibum particıpo, cur ob id impius iudicor, pro quo ego gratias ago?*

XX. Hic Bellarminus, dubitare, tremere, anxius eſſe, tergiuerſari, ludere, illudere. Agnoſcas Sophiſtam redactum ad incitas. Cœpiſſe legem antiquari, non probat. Ad Corinthios nondum perueniſſe, titubans ariolatur. Perueniſſe, nec certo obſeruatam, perſuaderi poſſe cuperet. Ita vertit ſe in omnes facies: & denique tamen mera incertitudine nihil habet aut inuenit certius. Eleganti ſanè Theologus facie: & quem magiſtrum Controuerſiarum facilè delegeris. Et vero vrget temporis circunſtantia. Nam ſi ante Concilium illud, hæc ſcripſiſſet Paulus, queſta eſſet fortè hæreticorum impudentia; emendatam fuiſſe in Concilio priuatam Pauli ſententiam. Sed præcepta eſt anſa: cum conſtet ſcriptam hanc ad Corinthios Epiſtolam aliquanto poſt id Concilium: vt notat Bellarminus, Nam Lucas Actor. 10. concilium coactum narrat: & 18. primum adueniſſe in eam vrbem Paulum. Atque adeo Baronius Concilio aſſignauit annum quinquageſimum primum, Epiſtolæ vero quinquageſimum ſeptimum.

XXI. Sed ſolutiones expendamus. Prima eorum eſt, qui iam dicerent legem illam Apoſtolicam abrogari cœpiſſe. Hos ille improbat; negans veriſimile intra tam paucum tempus: & quidem vigente adhuc ratione: neque nos contra diſputamus.

XXII. Secundo igitur reſpondet; tum temporis, cum hæc ſcriberetur Epiſtola, fortaſſe nondum eam legem ad Corinthios perueniſſe. Confirmat gemina ratione: tum, quia Apoſtoli ſcripſiſſent tantum Eccleſijs Syriæ, & Ciliciæ, vt conſtat ex inſcriptione : Corinthus autem in Achaia ſit, quæ eſt in Europa. Tum autem, quia ſi perueniſſet, cur Corinthij quæſtionem propoſuiſſent Paulo? Cum ergo nondum habuiſſent, Paulum reſpondiſſe illis, quod fuit reſpondendum, ſecundum ius naturæ: iudicans nondum expedire eis legem tradi, quos noſſet valde ſuperſtitioſos.

XXIII. Verum iſtud qualecunque eſt, *fortaſſe,* abhorret à veriſimili. Nam, quis credat id temporis, cum Euangelium tanto impetu vniuerſum percurreret orbem, Euangelicum hoc præceptum (ita enim Bellarminus appellauit) ſolum torpuiſſe in exiguo angulo? Imo quis credat, anno quinquageſimo primo factum hoc decretum, poſt quinquageſimo ſecundo deueniſſe Paulum in hanc vrbem, & id præceptum ſilentio obruiſſe? Paulum, inquam, cuius cap. 16. laudatur fides , & diligentia in hoc ipſo tradendo præcepto?

XXIV. Quid tum autem, ſi ſcripta eſt Concilij Epiſtola, in Syriam & Ciliciam: neque in eo tractu Corinthus? An ſufficiens cauſa coniecturæ? Eadem opera concludas nuſquam Gentium, eo excepto tractu, prædicatum. Atqui cap. 16. Actor. conſtat prædicatum Derbæ in Iſauria: alijſque ciuitatibus. Et vide inconſiderationem! Obſeruatum fuiſſe docet hoc ipſum præceptum in Galliis, teſte Blandina: in Africa teſte Auguſtino: non vult Corinthi. Quid ergo Galliæ, quid Aphrica, ad Syriam & Ciliciam, potius quã Achaia? Sed ſi erat prædicatum, inquit: cur Corinthij de eo quæſiſſent? Imo exiſtimant nonnulli, non quæſiſſe: ſed Paulum ex officio in eum ſermonem deueniſſe cognito inter Corinthios abuſu. Vide Iuſtinianum Ieſuitam. Sed fac quæſiſſe: quid tum? Quaſi nulla neceſſitas vnquam accidat renouandi præcepta iam prius lata.

XXV. Fac tamen ne per ſomnium quidem fuiſſe Corinthi cognitum: Quis credat aliter Paulum tradidiſſe, quàm ipſe & viderat ſtatutum in Concilio, cuius ipſe pars magna fuiſſet. Et poſt prædicarat in iis Eccleſijs? ad quas nondum ea fama perueniſſet? Aliter, inquam, idem præceptum , & præceptum Euangelicum, præceptum Apoſtolicum, præceptum neceſſarium (ita enim cenſet Bellarminus) tradidiſſe Derbæ & Lyſtræ, viua voce: aliter Corinthi per literas? An quia Corinthios voluit minus eſſe ſuis prælatis obedientes.

XXVI. Sed iudicauit ita expedire Paulus. Hoc ego quidem habeo perſuaſiſſimum. Et quis ſanus neget? Sed expedire etiam Romanis: imo expedire Lyſtrenſibus, & Derbenſibus: expedire omnibus Chriſtianis. Conſtat ex ipſo facto. Nam hæc ad Corinthios Epiſtola, Canonica eſt; Canonica fuit, vbicunque Chriſtiani fuere. Sed hoc, expedire, ſignificat non fuiſſe præceptum de ſuffocato & ſanguine poſitum tanquam neceſſarium. Nam, quæ præcepta ſunt eiuſmodi, ea nunquam & nuſquam expedit violari.

XXVII. Sed erant valde ſuperſtitioſi Corinthij, Quid? magis-ne etiam quam Epheſij? quam Afri? quam Romani? Quam Lyſtrenſes, à quibus pro Ioue, & Mercurio adorabantur Paulus & Barnabas? Tum autem, quæ ratio hæc eſt: Fuere ſuperſtitioſiores, ergo docendi fuerunt indifferenter vti idolothytis? Nam vim quidem nullam video. Quid enim? Fuerunt-ne confirmandi in ſuperſtitione, an abducendi ab ea? Illud, abſurdum eſt: & alienum ab inſtituto Pauli. Si abducendi, quomodo fit veriſimile, Lyſtrenſes, Derbenſes, Syros, Cilicas abducendos fuiſſe à ſuperſtitione, prohibitis neceſſario Idolothytis: Corinthios vero, permiſſis?

XXVIII. Tertio, Bellarminus ſupponens cognitum fuiſſe Corinthi præceptum, reſpondet, Paulum reddidiſſe rationem præcepti geminam, tum ſcandalum infirmorum, tum periculum idololatriæ. Porro non ſequi, ſi propter ſcandalum & periculum prohibeatur vſus idolothytorum, licite vſurpari extra ſcandalum, & periculum. Rationem reddit, quia, etſi non fuerint per ſe mala, tamen potuerint abſolute prohiberi, quia multa prohibeantur, ne ad illicita nos trahant.

XXIX. Imo comminiſcitur Sophiſta à ſe ipſo, non habet à Paulo geminam rationem. Nam Paulus vnicam duntaxat, nempe ſcandalum, id eſt, conſcientiam alienam. Periculum idololatriæ nullum habet, niſi quatenus pertinet ad ſcandalum, Itaque non tanquam rationem nouam, & diſtinctam: ſed tanquam illius appendicem, ſiue exaggerationem. Concedamus tamen, quid lucri accedit Bellarmino? Non ſequitur, inquit, licite vſurpari extra ſcandalum & periculum, etſi propter ſcandalum & periculum prohibeantur. Imo, hoc quorſum, inquam? optime, ſi nihil Paulus diceret, niſi prohibitum eſſet propter eas cauſas: & nos inde conſequentiam deduceremus. Sed non ita eſt. Paulus non tantum docet, propter eas rationes prohibitum eſſe vti Idolothytis: ſed etiam diſerte: diſerte, inquam, extra eos caſus permiſſum vti: & nos inde argumentum ſumimus. Nam, vt concedamus Sophiſtæ, quædam propter certas tantum cauſſas, abſolutè tamen prohiberi, & hæc præcepta eſſe neceſſario: at profecto nunquam efficiet, vt, quæ propter eas cauſſas prohibentur, & extra earum caſum, permittuntur, eadem abſolutè prohibeantur.

XXX. Vicimus ergo: niſi fortè moleſta ſit Gretſeri importunitas. Qui,

*nunquam,*

*nunquam*, inquit, *permittit Apoſtolus, vt fideles veſcantur Idolothytis: ſed hoc tantum concedit, neceſſarium non eſſe, vt ſollicitè inquirant, num hoc vel illud quod venditur, vel in menſa apponitur, ſit immolatum idolis.*

XXXI. At hæc non tantum importunitas eſt, ſed etiam impudentia: Quis enim non legit, *Quicquid apponitur vobis, edite?* Itaque Pauli mentem longè melius alij, quantumvis Papiſtæ, perceperunt. Caietanus, *Ex dictis habetur, quod nulla eſt differentia inter eſum talium, & eſum aliarum rerum.* Et poſt, *Iſti, inquam* (infirmos intelligit) *vſque in præſentem diem manducant cibos immolatos ſimulacris, tanquam immolatos ſimulacris, hoc eſt, tanquam illicita: ita quod rectè ſentientes de ſimulacris, errant circa vſum immolatorum.* Gagnæus, ad illa, *Nihil interrogantes Non quod conſcientia iudicet non eſſe interrogandum: ſed id vult Paulus, quod de iis, quæ in macello veneunt, nullam facere oporteat conſcientiam: verum, vt inquit Photius, puram illam ea in re, & nihil hæſitantem habere oportet.* Et ad iſta: *Hoc immolatum eſt. Ex hoc loco & præcedente oſtendit ſe idolothytum non inhibere, niſi quatenus ſuſpicionem affert venerati idoli: quando, ſi extra ſacrificia idolorum, ac ſine conſcientia idoli apponatur, non interdicit.*

XXXII. Hactenus defenſa ſunt argumenta Caluini: Bellarmini nunc excutienda. Primum fuit, quia hoc præceptum onus vocetur. Sed hoc primum non eſt neceſſe concedi. *Viſum eſt*, inquiunt Apoſtoli, *Spiritui Sancto ac nobis*, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων· *nihil vltra iam imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria.* Non habet id phraſis aut Græca aut Latina, vt neceſſaria comprehendantur ſub oneribus. Exempla. Paulus Actor. 27. ἀποβολὴ ψυχῆς οὐδεμίας ἔσται ἐξ ὑμῶν, πλὴν τοῦ πλοίου, *Amiſſio nullius animæ erit ex vobis, præter quam nauis.* An nauis erat anima? Lyſias Apologia de cæde Eratoſthenis. οὔτε χρημάτων ἕνεκα ἔπραξα ταῦτα, ἵνα πλούσιος ἀντὶ πένητος γένωμαι, οὔτ' ἄλλου κέρδους οὐδενός. πλὴν τῆς κατὰ νόμους τιμωρίας. *Neque pecuniarum cauſa hæc admiſi, vt diues fierem ex paupere, neque vllius alius lucri, niſi vt vindictam ſumerem iuxta leges.* An vindicta inter lucra? Ariſtophanes Equitibus. οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι, πλὴν γραμμάτων: *neque muſicam ſcio: niſi literas.* Plautus Menæchmis in prologo, *Et liberorum, niſi diuitiæ, nihil erat.* An inter liberos diuitiæ? Nimirum ſenſus: nulla anima ex vobis peribit: ſed tantum peribit nauis: Nulli erant liberi: ſed erant diuitiæ tantum. Cur non ſimiliter: nullum imponimus onus: ſed tantum abſtinere ab immolatis? Vt ne ſit onus tamen.

XXXIII. Et confirmat circumſtantia fornicationis: quæ onus non eſt: ſed omnino debitum: idque tam certo, vt præter calumnias nihil habuerit Gretſerus, quod Witakero monenti opponeret; confundens impudenter abſtinentiam à fornicatione, cum impuro cœlibatu: cui tamen cum ſcortatione tam benè conuenit, vt pronuntient delicatuli, caſtuli Ieſuitæ, ſolui votum caſtitatis per copulam matrimonij, at non ſolui per fornicationem; vt manifeſtum fiet proxima controuerſia.

XXXIV. Præterea, vt concedamus etiam onus dici: tamen negamus; omne onus eſſe legem obligantem conſcientiam. Poſſe enim onus dici, ratione præcepti duntaxat; etiam ſi etiam ratio ſit vel accidentaria, vel ſecularis, & propter εὐταξίαν. Denique onera dici poſſe, ſecundum plus & minus.

XXXV. Secundum argumentum Bellarmini, quod lex illa dicatur ab Apoſtolis eſſe neceſſaria. Hoc Gretſerus explicat: *Non poſſumus*, inquit, *dicere neceſſariam appellatam tantum, vt pœna temporalis vitaretur, quomodo lex purè pœnalis nominari poteſt neceſſaria: quia Apoſtoli nullam pœnam temporalem huic ſuæ legi adiecerunt, ergo legem iſtam vocarunt neceſſariam propter vitandam pœnam alterius vitæ, cuius reatum nemo incurrit, niſi per violationem illius legis, quæ conſcientiam ſub peccati culpa obligat.*

XXXVI. Aſt ego reſpondeo, primo Bellarminum ſuo more impoſturam facere. Nego enim Apoſtolos appellare eam legem neceſſariam. Verba ſunt: μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, *nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria.* Manifeſtius Syriacè, *quàm hæc quæ ſunt neceſſaria.* Hoc autem quid eſt? Nimirum, ratio ſiue cauſa legis: non, vt ita dicam, quantitas. Exprimitur, inquam, quam ob cauſſam illa prohibeantur: at non quomodo, quaue legis ſeueritate prohibeantur. Conſentiunt interpretes: Lyranus, *Quam hæc neceſſaria ad viuendum communiter cum Iudæis in Eccleſia primitiua.* Caietanus, *Aduerte, ne intelligas hæc neceſſaria vna & eadem ratione neceſſitatis. Nam ratio neceſſario vitandi fornicationem diuini eſt iuris: ratio autem abſtinendi ab iis, quæ immolata ſunt ſimulacris, & ab eſu ſanguinis, & ab eſu ſuffocati, eſt vt morem geratis ijs quibus conuiuitis Iudæis* Repeto igitur, neceſſitatem hanc intelligendam non ipſius legis, ſed ipſius rei: Differre autem, patet ex ipſo Bellarmino, qui docuit nos, poſſe quædam indifferentia per ſe, interdici abſolute. Quare, ſit hæc verba Apoſtolorum ſignificant neceſſitatem rei; & hæc non ſit abſoluta, ſed κατά τι, id eſt, propter & ſcandalum Iudæorum, & ad tempus: Ergo non poteſt intelligi legis vlla neceſſitas abſoluta.

XXXVII. Lepidum vero caput Gretſeri. Nulla inquit, addita eſt pœna temporalis: ergo lex non propterea neceſſaria: neceſſaria ergo propter pœnam æternam. Enimuero, quid ſi ego contrà: Nulla addita eſt pœna æterna: neceſſaria ergo non propter pœnam æternam; ſed temporalem? Vter vincet? Nam & conſequentia ſimilis à negatione vnius ad poſitionem alterius, & tabulis ſcriptis ambo æquales. Nam profectò Apoſtoli nullam pœnam huic aſſignant legi, neque temporalem, neque æternam. Itaque, vnde ſubtilitatis laudem ſperauit Sophiſta, inde apud omnes πλὴν ὦφλε γέλωτα: quod fatum eſt hominis.

XXXVIII. Optimè notaui, nullam additam legi iſti pœnam, non hic tãtum, ſed ne vſquam quidem. Nam neque Paulus; aut ad Romanos, aut ad Corinthios vllius meminit. Et vero ita ſolet in rebus adiaphoris, abſtinentia cohiberi, ſola addita præſentis vtilitatis ratione: quanquam ne hac quidem ſemper, propter euidentiam. Iubet Corinthios conuenientes prima hebdomados, conferre eleemoſynas: iubet mulieres orare capite velato: iubet manere in cœlibatu: Et nonnulla fortè alia: nulla vſquam adhibita pœnæ vllius comminatione. Nimirum, hæc eſt omnium huiuſmodi obſeruationum natura, vt perſuadeantur, non etiam cogantur.

XXXIX. Inſtat Gretſerus. Imo hoc ipſo quod abſtinentia ab Idolothytis, & ſuffocato, & ſanguine, cum vitiatione fornicationis enumeratur, & neceſſaria prædicatur, ſatis apertè innuitur, vt hanc, ita & illam ad conſcientiam ſpectare, nec tranſgreſſionem ſalua conſcientia locum habere poſſe ſicut habere nequit in violatione præcepti de non fornicando.

XL. Imo illud ipſum Ieſuitæ Gretſeri *aperte innuitur*, apertè refutatur à Gretſeri coniuratis. *Aduerte*, inquiebat Cardinalis Caietanus, *ne intelligas hæc neceſſaria, vna & eadem ratione neceſſitatis.* Et vero cur non eliciunt eſſe iuris diuini æquè abſtinentiam à ſuffocato, à fornicatione? Aut cur hic minus habeat virium connexio? Nam apud nos res eſt ſanè non difficilis. Nam præter rationem ſummam, quæ efficiebat fornicationem neceſſario vitandam; poterat & alia pro tempore accedere, qaam deſignant interpretes. Etiam Thomas, prima 2. quæſt. 107. artic. 4. *Fornicatio autem prohibetur ſpecialiter: quia Gentiles non reputabant eam eſſe peccatum.* Similiter Caietanus. Quare, etſi verum ſit propter conſcientiam abſtinendum à fornicatione, tamen verum eſt, non hanc ob cauſſam hic numerari ab Apoſtolis, ſed propter aliam, quæ concurrebat cum Idolothytis & ſuffocato. Ideoque nulla eſt Gretſeri comparatio.

XLI. Tertium argumentum erat Bellarmini: quod Lucas abſolutè præcepta appellet hoc eodem capite. Sed primum, quod de hoc capite citatur, non eſt certum: quia in nullis habetur Græcis exemplaribus. Vnde Caietanus annotat, *Superfluunt hæ ſex vltimæ dictiones.* Laudato ergo ſanè Gretſerus ſui interpretis fidem, quantum volet: at nos ſcimus iampridem præſcriptum, Latinorum codicum fidem ad Græcorum fidem explorandam. Sed capite tamen proximo legimus, Paulum & Barnabam, prout pertranſibant vrbes, παραδεδόσθαι φυλάσσειν τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων, tradidiſſe, vt cuſtodirent *dogmata*, ſiue, vt Beza maluit, *inſtituta, quæ erant decreta ab Apoſtolis.* Atqui δόγματα generale nomen eſt, comprehendens quicquid conſtitutum eſt; imo etiam quicquid ſolenne, ſiue ex decreto, ſiue ex conſuetudine. Promptum videre, ex Baſilio de Spiritu Sancto, cap. 27. vbi diſtinctis δόγμασι καὶ κηρύγμασι, inter δόγματα refert omnes ritus. Imo, quod ad hanc rem noſtram plurimi intereſt, τὰ δόγματα σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται: *dogmata tacentur: prædicationes verò publicantur.* Cum tamen idem in regulis breuioribus. Canone 1. dicat, τῶν σεσιωπημένων κανόνα ἡμῖν ἐξέθετο ὁ Ἀπόστολος Παῦλος, εἰπών, πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. *De ijs quæ tacentur, Canonem nobis expoſuit Apoſtolus Paulus, dicens: omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed nõ omnia ædificant.* Qui quidem Canon de rebus eſt de indifferentibus. Adeo alienum eſt à vero Gretſeri apophthegma, *præcepta & dogmata, legem proprie & ſtricte ſumptam indicare: non autem talem, cuius obſeruatio, ſecluſo ſcandalo, libera eſſet.*

XLII. Verum, ait Gretſerus, non fuiſſet occaſio ſcandali præciſa, ſed aucta: ſi legis ſenſus fuiſſet, abſtinendum, ſi quis Iudæorum adeſſet: alias, cuiuis liberum eſſe. Ratio, quia Iudæi hypocriſin putaſſent potius quam ſerium decretum.

XLIII. Sed mira eſt Gretſeri prudentia: etiam ſupra Apoſtolicam. Quid enim? Nonne hoc ipſum, quod ille de hypocriſi appellat, manifeſtiſſimis verbis tradit, explicat, inculcat Paulus ad Romanos, & ad Corinthios? Abſtinendum ab Idolothytis tantum propter infirmi fratris conſcientiam? Næ tu, Paule, magiſtro non vſus es Gretſero, qui tam improuide tuam prodidiſti hypocriſin, aliorum etiam adiuuiſti. Niſi potius Ieſuitarum, & Gretſerorum quantum eſt, quantum fuit, in Morboniam amandandum eſt, vt tuum miremur candorem, & ab eo quæ ſit morum diſciplina, cognoſcamus.

XLIV. Quartum argumentum: quia Chryſoſtomus, *Vide*, inquit, *breuem Epiſtolam, neque epicheremata, neque ſyllogiſmos habentem, ſed imperium: erat enim legiſlatio Spiritus.* Sed nihil difficile eſt, ἐπίταγμα dixit Chryſoſtomus: & νομοθεσίαν generali nomine, quo continentur quæcunque mandata, ſiue neceſſaria, ſiue vtilia tantum: & leges non illæ duntaxat, quæ propriè & ſtricte leges ſunt, vt loquebatur Gretſerus; ſed quæcunque. Quanquam hæc verba non hanc vnam partem, ſed totam ſpectant Epiſtolam, eiuſque ſtylum, breuem, & conciſum, qui nihil ad hanc noſtram controuerſiam.

XLV. Subijciebat Bellarminus Canones Apoſtolicos, quorum qui eſt ſexageſimus ſecundus, addit grauiſſimas pœnas, ſed cum omnes hi canones apocryphi ſunt: tum hic ſexageſimus ſecundus, ſuſpectiſſimus. Audi Baronium, & quidem hac ipſa de re agentem ex profeſſo, anno quinquageſimo primo, §. 22. *Certè in Creſconiana Collectione omnium antiquiſſima, quinquaginta tantummodo adnumerati habentur Canones Apoſtolorum, quos Dionyſius Romanus Abbas, cognomento Exiguus, in Latinum vertit: cæteri enim à Græcis putantur doloſe ſuppoſiti.* Nec obiter: nam perſtat in ſententia tomo ſecundo, ad annum centeſimum ſecundum §. 14. Videmus, quidem in iis defendendis miſerè deſudantem Turrianum, quem & Gretſerus non potuit innominatum omittere. Sed quid ad Baronium Turrianus? Aut quid contra Baronium Gretſerus?

XLVI. Neque eſt quod nobis Tertulliani, Origenis, Blandinæ, Auguſtini-ve nominibus illudat quiſquam. Scimus poſt Apoſtolos manſiſſe conſuetudinem huiuſmodi abſtinentiæ: nec miramur additum obſeruationi rigorem, imo & ſuperſtitionem, ſed nos Apoſtolorum mentem inquirimus: & hanc confidimus, ab ipſis longè melius conſtaturam, quam à mille alijs.

---

## Cap. XI.

### *De Subiectione propter conſcientiam. De Virga. De digamis. De aliis quibuſdam.*

I. SExto iam loco, locus eſt ex ep. ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, Et poſt, *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Formam argumenti educo. Cuicunque poteſtati obediendum eſt neceſſario propter conſcientiam, ea poteſtas poteſt condere leges obligantes conſcientiam. At Eccleſia eſt eiuſmodi poteſtas. Ergo Eccleſia poteſt condere eiuſmodi leges.

II. Mino-

II. Minorem probat, quia ipſe Caluinus fateatur Inſtitutionis lib. 4. ca. 10. §. 5. Paulum loqui non ſolum de principibus ſecularibus; ſed etiam de Eccleſiaſticis: deinde, quia manifeſtum ſit, Paulum loqui in genere de omnibus poteſtatibus. Eſſe autem aliquam poteſtatem Eccleſiaſticam patet ex 2. ad Corinth. 13. *Hæc abſens ſcripſi, vt non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi Dominus.* Denique, etſi Paulus ad literam loqueretur ſolum de ſeculari poteſtate: tamen, vel à ſimili, vel à maiori, eadem ratio eſſet Eccleſiaſticæ.

III. Rurſus probat ex ijs verbis, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Item teſtibus, Oecumenio, Theophylacto, Ambroſio, Petro Martyre, interpretantibus damnationem illam tam temporalem, quam æternam.

IV. Reſpondeo, concedi à me quidem minorem: etſi negem Paulum de alia vlla poteſtate eſſe loquutum eo loco, præter ſecularem: quod prolixè diſputatum eſt tom. 2. libr. 15. cap. 17. vt ne ſit neceſſe eandem telam redordiri. Tantum admonendum falſo Caluinum teſtem laudari. Nam hic profecto haud aliter intellexit, quam de terrenis poteſtatibus, ſiue Magiſtratu; vt patet ex commentarijs: & Inſtitutionis libro quarto, capite vigeſimo.

V. Etvero, quem locum Bellarminus citat, eo abutitur. Caluinus enim non ſuum ſenſum exprimit, ſed aduerſariorum obiectionem, & quidem petitam, non à Pauli mente, ſed ex conſequenti inde deducto. Si Principum leges dominantur in conſcientiam: ergo & Eccleſiaſticorum. Longe autem eſt aliud conſequentiam formare, aliud ipſam mentem autoris explicare.

VI. Verum de re ipſa agamus potius. Negatur ergo maior. Nam obedientia non reſpicit adæquatè poteſtatem condendi leges: ſed autoritatem iubendi. At non condit leges quicunque iubet. Sunt enim qui autoritatem iubendi habeant ſecundum latas iam leges. Itaque eſt quidem verum, quicunque habeat autoritatem legum ferendarum, huic eſſe obediendum propter conſcientiam: ſed non æquè cuicunque obediendũ ſit propter conſcientiam, huic autoritatem eſſe condendi leges. Enimuero in ipſa ſeculari Republica, ſoli ſummi Magiſtratus, & ij, penes quos maieſtas eſt, poſſunt leges condere: non autem pedanei iudices. Et tamen pedaneis iudicibus debetur obedientia propter conſcientiam. Vnde Caluinus rectè, *Poteſtates ſupereminentes vocat, non ſupremas, quæ ſummum imperium obtineant: ſed quæ excellant ſupra reliquos homines. Subditorum ergo reſpectu, non mutua inter ſe comparatione, ſic vocantur magiſtratus.* Ad eam formam in Iſraele, morte plectebatur quicunque recuſaſſet parere Leuitæ, aut Iudici cuicunque, Deut. 7.

VII. Iam Eccleſiæ hæc eſt natura, vt leges eius, quæ propriè leges ſunt, iam ab initio ſint latæ, & quidem autoritate diuina. Quibus autem Eccleſia deinceps adminiſtranda eſt commiſſa, ij autoritatem habuerunt omnes, eas latas leges inculcandi; & ſecundum eas imperandi. 1. ad Timoth. 4. *Præcipe hæc & doce,* Quinto, *Hoc præcipe, vt ſint irreprehenſibiles.* Sexto, *Denuntio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, vt ſerues hæc mandata.* Poſterioris tertio, *At tu permane in his quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſunt.* Ad Titum 2. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.*

VIII. Non eſt ergo verum, quia Eccleſiæ obſequendum eſt propter conſcientiam, poſſe eandem leges ferre. In quo Bellarmini nimium fuit cæca ſupinitas, quæ hanc partem deſertam prorſus reliquerit, quaſi eſſet per ſe nota. Solenne Sophiſtis, non minus quam poetis, vt quæ deſperent tractata niteſcere poſſe, relinquant.

IX. Rurſus dico, ne eſſe quidem verum, eorum omnium, quibus obedientia debetur propter conſcientiam, quique leges poſſunt condere, id eſſe iuris, vt eorum leges obligent conſcientiam. Quæ ſolutio eſt Caluini, libr. 3. Inſtitut. cap. 19. §. 15. & §. 5. cap. 10. libr. 4. Sanè aliud eſt leges obligare conſcientiam, aliud legibus deberi obedientiam propter conſcientiam: quomodo aliud eſt regi exhiberi obedientiam, tanquam regi, aliud alij cuipiam propter regem. Nam qui exhibet tanquam regi, is agnoſcit eius eſſe propriam autoritatem regiam: at qui propter regem, agnoſcit aliena autoritate fretum imperare. Ad eam rationem: quæ leges conſcientiam obligant eæ ſunt, quarum imperium propriè & per ſe eſt in ipſam conſcientiam: ſed quæ obſeruantur propter conſcientiam, eæ nituntur aliena autoritate, id eſt, alterius cuiuſpiam legis obligantis conſcientiam. Itaque magiſtratus politici, etſi nullum habeant imperium in conſcientiam, tamen habent propter conſcientiam.

X. Bellarminus obſtat tripliciter. Primo, ſe oſtendiſſe euidenter ſequi, ex eo, quod tenemur obedire ſuperioribus, teneri etiam in conſcientia leges eorum ſeruare, etiam citra contemptum & ſcandalum. Nimirum, inquam, cum ageret de primo loco, nempe ex Deuteron. 17. Sed nos etiam tunc Sophiſmati neruos ſuccidimus. Nunc addo: teneri ex conſcientia leges ſeruare, illud ipſum eſſe, quod nunc dicimus, obediendum propter conſcientiam, quæ vrgetur ab alia aliqua lege, non politici magiſtratus. Illud autem teneri obſeruare, etiam citra contemptum, & ſcandalum, manifeſtè alienum eſſe ab omni vſu: neque vllus vnquam eſt, fuit, erit, qui non ſe aliter compararit; vt, cum commodum poſtularit ſuum, id faciat quod prohibitum eſt, ſi faciat nullo cum aut publico aut priuato damno: neque vllus vnquam eſt, fuit, erit magiſtratus non deſperatè tyrannus, qui ab eo pœnas exegerit, ſi fecerit citra contemptum. Dicam amplius. Etiam, qui cum publico damno, tamen eximuntur pœnæ, ſi ſe probent inſcientes, ideoque abſque legum contemptu feciſſe. Plena eſt huiuſmodi exemplorum communis vita.

XI. Rurſum Bellarminus: Ad quæ Paulus extendit illud, *Propter iram,* ad eadem extendit illud, *propter conſcientiam*: at illud pertinet non ſolum ad vitandum contemptum & ſcandalum, ſed etiam ad obſeruationem legum in particulari. Hoc probatur, quia ſuſpendio necat furem princeps, homicidam capite plectit, falſarium cremari iubet, etiamſi non ex contemptu principis, ſed ex cupiditate pecuniarum illos peccaſſe conſtet. Ergo eadem ratione hoc *propter conſcientiam.*

XII. Æque latè vtrumque patere concedatur ſanè: ſed iram pertinere ad obſeruationem legum, etiam citra contemptum & ſcandalum; dico eſſe falſum. Nam ira ſignificat pœnam: atqui pœna, vt dixi, non pertingit ad tranſgreſſionem citra contemptum & ſcandalum, id eſt; offenſam publicam. Nec contrarium probatur. Nam exempla furti, homicidij, falſi, omnino ſunt aliena: vtpote peccatorum verè & per ſe peccatorum; itaque prohibitorum, non lege principis tantum, ſed præcipuè lege Dei: itaque in his conſcientia propriè ligatur: & quidem potentiſſimè. Sed exempla erant nominanda rerum, quæ duntaxat ex vi legis politicæ prohibentur, vt quum apud Thebanos lex fuit, ne quis vltra dictam diem ſibi imperium prorogaret: quam tamen impunè legem tranſgreſſus eſt Epaminondas. Impunè Ageſilaum muliercula iuſſit findere ligna. Et in Eccleſia, teſte Tertulliano de Baptiſmo, cap. 17, *Dandi baptiſmi habet ius ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: deinde presbyteri & Diaconi: non tamen ſine Epiſcopi autoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſaluo ſalua pax eſt.*

XIII. Tertio Bellarminus: Superbire, & contemnere ſuperiorem, adeo manifeſtum eſt malum eſſe, vt non fuerit opus Paulum tot verbis, & tam ſæpè id inculcare. Ergo non hoc ſolum docet, ſed id, quod dubium eſſe poterat, vt notant Chryſoſtomus, alijque interpretes, nimirum teneri Chriſtianos in conſcientia ad obſeruanda præcepta & leges principum, etiam temporalium.

XIV. Nam hoc quorſum? Teneri enim in conſcientia Chriſtianos obſeruare leges principum, nos nulli negamus. Sed nunquam tamen quenquam vidimus, qui ſpontaneam legum violationem diſpararet à contemptu principum. Conſtat autem Paulum aduerſus eos ſcribere, qui nollent obedire principibus. Iuſtinianus Ieſuita, in hæc Pauli verba, *Ioſephus autor eſt apud Iudæos fuiſſe quandam ſectam Gaulonitarum, à quodam Iuda Gaulonita ortam, quem indicare videtur Gamaliel, nomine Iudæ Galilæi, quæ negabat cenſum, & obedientiam Cæſari deberi: qua occaſione permoti Phariſæi à Chriſto quærunt, liceátne Cæſari cenſum perſoluere, an non. Eodem vel perſimili errore deluſi, malè Chriſtianam libertatem interpretantes, fuerunt olim qui exiſtimarent eos, qui Chriſto nomina dediſſent, legibus ciuilibus ſolutos eſſe, ac penitus liberos à principum poteſtate: itaque malè olim audiebant Chriſtiani apud infideles, quaſi principibus, ac magiſtratibus minus eſſent obſequentes.* Paulo poſt. *Hanc igitur falſam atque impiam ſuſpicionem Paulus in præſentia amolitur.* Haud aliter Salmero, Pererius, Dominicus à Soto. Verè omnes, noſtro iudicio. Paulus ergo eos perſtringit qui negarent obediendum Magiſtratui: non eos damnat, qui nullo animo malo; nullo item incommodo aut proximi aut reipublicæ, interdum ab eorum legibus recederent. Itaque, etſi propter conſcientiam vult ijs obtemperari: tamen non docet eorum legibus tantam eſſe vim, vt per ſe conſcientias obſtringant.

XV. Tranſeo ad locum ſeptimum: ex prioris ad Corinth. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* Virga poteſtas eſt iudiciaria puniendi peccatores, teſtibus, Chryſoſtomo, & alijs in eum locum. Auguſtino etiam, lib. 3. c. 1. contra Epiſtolam Parmeniani.

XVI. Ineptè: non enim hoc quæritur, vtrum Paſtores habeant virgam id eſt, poteſtatem puniendi peccatores. Imo Caluinus, *Virgam appellat*, inquit, *ſeueritatem, qua paſtor delicta populi corrigere debet.* Et poſt, *Sunt qui virgam, pro excommunicatione hic accipiunt: ego autem, tametſi illis concedo, excommunicationem eſſe partem huius ſeueritatis, quam Paulus Corinthijs denuntiat, ita hanc latiùs extendo, nempe vt duriores omnes reprehenſiones comprehendat.* Petrus Martyr. *Eſt autem virga, nota ſeueritatis.* Poſt, *Quam timenda ſit hæc Apoſtolicæ ſeueritatis virga, & Chriſti verba docent, quibus ait, Quæcunque ligaueritis in terra, ligata etiam erunt in cœlis.* Aretius, *Ῥάβδος ſymbolum eſt imperij & ſeueritatis. Cum baculo igitur venire, eſt ſeueriter venire: ſtudio puniendi.* Et poſt, *Paulus, ſi cum ſumma poteſtate Apoſtolica veniret Corinthum, vtique terribilis foret illius aduentus: alium daret Sathanæ, vt Alexandrum & Hymenæum, alios cæcitate percuteret, vt Elymam Magum: alios ſubita morte plecteret, vt Petrus Sapphiram & Ananiam: alios excommunicaret, vt ſequenti capite, iubet illum pollutum inceſtu. Hoc vtique fuiſſet venire cum baculo, hoc eſt, ſumma Apoſtolica autoritate.* Quid igitur? Nempe noſtri omnes Virgam hanc non agnoſcunt minus quàm Papiſtæ. Quorſum ergo aliqua eſſe probatur?

XVII. Gretſerus ænigma diſſoluet, qui noſtros miratur non vidiſſe vim argumenti. Si Apoſtoli, inquit, habebant virgam, hoc eſt, puniendi poteſtatem, ad poſteros tranſmittendam, habebant etiam vim coactiuam: ſi hanc, præcepta igitur eorum non erant tantum admonitiones, vel cohortationes, ſed vera imperia.

XVIII. O Lynceum! qui, dum nos vix quicquam videmus, præter cauillationes, Lœdorias, Pſeudologias: viderit hoc tantum, tam Papiſticũ, tam Ieſuiticum arcanum! Sed & nos contendamus oculis: etſi præter loliũ, nihil ille nobis cibi relictum velit. Si habebant virgam, habebant vim coactiuam. Hoc ego tolerare poſſum, tantiſper dum in tractatum de Eccleſia, diligentius excutiendum differtur: ſed, ſi habuit vim coactiuam, ergo eius præcepta erant imperia. Quid dicam? Quid excipiam? Sophiſta, inquã, ne tu quidem tuo Bellarmino plus vides; ne tu quidem quæſtionem attingis. Nam & nos Apoſtolorum præcepta concedimus fuiſſe imperia. Sed addimus imperia fuiſſe, quibus iuberentur leges non ſuæ, ſed Dei: non in dies inuehendæ: ſed ab initio poſitæ. Itaque hoc ipſo loco virgam minatur Corinthijs Paulus, hanc, inquam, ſeueritatem, hoc imperium: ſed quibus? An comedentibus ſuffocatum, & ſanguinem, & Idolothyta, & quidem extra caſum ſcandali? An deguſtantibus fruſtulum aliquod laridi veteris ſexta ſeptimavè feria, aut quadrageſima? An aniculæ deducenti ex colo tenuis fruſti filum, feſto aliquo die? Nam hæ ſunt apud Papiſtas ſeueriſſimæ leges Eccleſiaſticæ. Minimè vero. Sed Corinthijs inceſtuoſum tolerantibus: contentiones inter ſe exercentibus, tum Eccleſiaſticas, tum politicas, non tolerantibus infirmos: etiam contaminantibus Euchariſtiam. Quid plura? His, his virgam minabatur: ſed leges nullas nouas aut denuntiabat, aut ſignificabat, vt norit Gretſerus ſe fruſtra eſſe.

XIX. Octauo notat 1. ad Timoth. 3. Apoſtolum lege ſtatuere, ne digami ordinentur. Hanc porro legem obligare in conſcientia, etſi planè poſitiuam & Eccleſiaſticam, planum eſſe, tum ex Eccleſiæ praxi, quæ nunquam ſit auſa digamos ordinare, tum ex Concilij Carthaginenſis Canone 69. priuante Epiſcopum autoritate ordinandi, qui prudens ordinauerit digamum.

XX. Reſpon-

XX. Reſpondeo, digamum a Paulo nulla noua lege remoueri ab Epiſcopatu, ſed eadem, qua oportebat Epiſcopum eſſe ἀνεπίληπτον 1. ad Tim. 3. ſiue ἀνέγκλητον ad Titum 1. Eſt enim διγαμία verè peccatum contra legem Dei: quæ duos vult eſſe in carne vna. Scio Veterum plurimos διγαμίαν interpretatos eſſe de ſucceſſiuis vxoribus: ſed nos Pauli mentem quærimus: aliorum intempeſtiuam ſuperſtitionem non probamus: cui refutandæ ſuus poſtea locus erit.

XXI. Nono, 1. ad Timoth. 5. *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Hinc colligit Epiſcopum habere ſuum tribunal, & more iudicum accuſationes, probationeſq; audire, tum ſecundum allegata & probare iudicare.

XXII. Quis negat? inquam: aut quid ad rhombum? Eſt enim argumentum ſimile ſeptimo, de virga. Itaque & Gretſerus ſimiliter concludit: ergo Epiſcoporum iuſſa non eſſe tantum monita, ſed imperia. Quare nulla neceſſaria eſt noua reſponſio. Memento etiam inter homines ſua imperia eſſe ſubalternis iudicibus, quibus tamen legis ius nullum, niſi accipiendæ à ſummis.

XXIII. Hæc viſa ſunt Bellarmino argumenta nonnullius ponderis: deinceps leuiora ſubijcit, quæ, inquit, minus vrgent. ſuam tamen habent efficaciam. Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Prioris ad Corinth. 11. *Laudo vos, quod præcepta mea tenetis.* Prioris ad Theſſ. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis. Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui Spiritum ſuum Sanctum nobis dedit.* Poſterioris 3. *Si quis non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini ibi.* Ad Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, tanquam pro animabus veſtris rationem reddituri.*

XXIV. Eædem nugæ. Commendatur enim his omnibus locis obedientia, quæ debetur paſtoribus: ſed de legibus condendis, ne verbum quidē. Gretſerus ita format argumentum, quod Bellarmino in mentem non venerat: Miniſtri Dei audiendi ſunt qua tales, ergo & tunc cum nouas leges nobis promulgant. Sed conceſſo antecedente, negatur conſequentia: quia Miniſtri Chriſti, qua tales, ſunt, qui leges à Chriſto iam latas renouant, & inculcant, ſiue prædicant. Atq; adeo id diſcas ex Paulo, laudante quidem eos qui præcepta ſua tenerent: ſed explicante, cum poſtulet imitatores eſſe ſuos, ſicut ipſe eſſet Chriſti: Diſertius ad Theſſalonicenſes, *Rogamus vos & precamur per Dominum Ieſum, vt ſicut accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos incedere, & placere Deo, magis excellatis. Noſtis enim quæ mandata dederimus vobis per Dominum Ieſum. Nam hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Et poſt, *Non enim vocauit nos Deus ad impuritatem, ſed ad ſanctificationem, proinde qui hæc reijcit, non reijcit hominem, ſed Deum.* At his locis nullæ ſignificantur Apoſtoli nouæ leges, de quibus noſtra eſt controuerſia: ne reliquis quidem. Itaq; fruſtra ſunt.

## Cap. XII.

### *De neceſſitate legis.*

I. HActenus è Scripturis, vt potuit, pugnauit Bellarminus: nunc à ratione, & Patribus. Ratio hæc eſt, in modo & figura, puto, Ieſuitica: nam Ariſtotelica iampridem antiquata eſt. Sunt neceſſariæ aliquæ veræ leges ad Eccleſiam gubernandam, præter diuinas, & ciuiles. Omnis autem vera lex vim habet coactiuam: Ergo ſunt neceſſariæ in Eccleſia leges Eccleſiaſticæ coactiuæ, ac verè & propriè in conſcientia obligantes.

II. Probatur maior. Si in Republica neceſſariæ ſunt leges: Ergo & in Eccleſia. Antecedens patet per ſe. Conſequentia probatur: quia eadem eſt vtrinq; ratio: nimirum vt homo poſſit ſecundum rationem viuere. Probatur aſſumptio, ex ipſa natura legis. Eſt enim lex, teſte Ariſtotele 10. Ethic. c. 9. *Sermo ab aliqua prudentia, ac mente profectus, vim habens cogendi.* Sed & peccatum, nihil eſt niſi tranſgreſſio legis.

III. Reſpondeo, legis nomen aliquando latè ſumi, aliquando ſtrictius, vt patet ex ipſa aduerſariorū confeſſione, qui ſubinde probant leges Eccleſiæ eſſe verè & ſtrictè leges. Ergo leges, lata ſignificatione, ſunt quæcunque conſtitutiones aliquid imperant ſiue faciendum, ſiue omittendum. At ſtrictiori notione leges ſunt, quæ per ſe vim habent imperandi, & quidem ἀναγκαστικὴν, vt loquitur Ariſtoteles. Hæ obligant conſcientiam, illæ non niſi per accidens, quod nos alias diximus.

IV. Hoc poſito, ſi in argumento leges ſumantur lata ſignificatione, conceditur maior: inde enim εὐταξίας canones iampridem admiſſi. Sed negatur illa pars, quam Minorem Sophiſta appellauit. Nam Ariſtoteles definiuit legem notione altera: quod inde probatur, quia πατρικὴν πρόσταξιν neget, ἔχειν τὸ ἰσχυρὸν, οὐδὲ τὸ ἀναγκαῖον. Cum tamē paterna mandata, verè ſint imperia, generali illa ſignificatione. Quomodo ſanè imperia ſunto Epiſcoporum διατάξεις, etſi non habeant in cōſcientiam vim ἀναγκαστικὴν, id eſt, quę re vera peccatum per ſe faciat, ſicut habent leges diuinæ.

V. Sin autem coerceatur argumentum ad leges propriè dictas & ſtrictè negatur ea propoſitio, quam pro maiore obiecit Bellarminus. Verè enim nullæ tales ſunt in Eccleſia præter diuinas.

VI. Ad probationem huius maioris, primo dico non concludi quæſtionem: tantum enim confici, Eccleſię neceſſarias eſſe aliquas leges, ſicut Reipublicæ: non autem eſſe neceſſarias aliquas præter diuinam, ὥσπερ ἐστὶ τὸ ζητούμενον. Nec ratio id concludit. Nam homo poteſt ſecundum rationem viuere ex legibus diuinis.

VII. Præterea ne conſequentia quidem eſt neceſſaria à Republica ad Eccleſiā. Ratio diſſimilitudinis: quia nulla Reſpublica ab initio ita eſt inſtituta, vt perfectas leges habuerit, & quæ poſſint omnibus vitæ partibus ſufficere. At contra Eccleſia leges habuit diuinas ab ipſo ſtatim ſui initio, verè ſufficientes omnibus pietatis partibus: teſte Apoſtolo, qui poſt. ad Timoth. 3. Scripturas dicit eſſe *vtiles ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Et Auguſtinus in ijs quæ ſcripta ſunt inueniri omnia quæ continent fidem moreſq; viuendi: c. 9. ſecundi de Doctrina Chriſtiana.

VIII. Itaq;, quomodo iudicibus ſubalternis ſola ſuperſunt iudicia ſingularia, quibus contineant vnumquemq; in officio, quod æſtimatur ex legibus latis à Principe: ita Paſtoribus hoc duntaxat incumbit, vt inſtantes opportunè & importunè, ſuas ſibi commiſſas oues dirigant in vias Domini. Itaq; Paulus monebat Theſſalonicenſes poſt. 3. *Quod ſi quis non auſcultat noſtro per Epiſtolam ſermoni, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, vt eum pudeat.* En Theſſalonicenſis Eccleſiæ partes: non vt ſuas leges poneret, ſed vt latas a Paulo, i. e. a Spiritu Sācto, curaret obſeruari, adhibitis pœnis.

IX. Poſtremum Bellarmini argumentum eſt ab autoritate Patrum. Nullum ferè eſt Concilium, inquit, quod non aliquid præcipiat, vel interdicat, ſub pœna anathematis, vel depoſitionis. Id illuſtrat vno tantum exemplo ieiunij: quam in rem præſto fuerunt ei multæ autoritates.

X. Sed de ieiunio non eſt neceſſe nunc agere, cui prolixior diſputatio debetur paulo poſt. De reipſa reſpondeo: Synodis ſuam ſemper fuiſſe autoritatem ferendi leges, idq; dupliciter. Primo ad cohibēdam vetarum legum tranſgreſſionem, tum quæ fidem ſpectant, tum quæ mores. Sic multa videas in antiquiſſimis, Neocæſarienſi, Ancyrano, Nicæno, alijs, de lapſis in idololatriam, de fornicarijs, de homicidis, de inceſtis, & huiuſmodi plurimis: quibus legibus nihil continetur noui, præter pœnæ aſſignationē. Secundo, ad componendam εὐταξίαν: de non promouendis caſtratis, de ordinandis Epiſcopis, de Synodis cogendis, de Sedium ordine, & alijs plurimis. Qua in parte notare eſt immenſum diſcrimen primarum Synodorum, & poſtremarum. Nam illæ, tum paucis canonibus erant contentæ, tum pœnam vix aſſignabant, contentæ ſolo imperio. At reliquæ, quanto poſteriores, tanto videntur & copioſiores fuiſſe, & ſeueriores: nimirum recedētes à prima & Apoſtolica ſimplicitate. Nos, Apoſtolicum morem amplexi, quicquid ſibi reliqui ſumpſerint Epiſcopi, non putamus habendum pro lege.

XI. Rurſus huiuſmodi εὐταξίας canones negamus obligare conſcientias. Primo enim mutabiles ſunt: at quæ conſcientiam obligant, non poſſunt aut vſurpari cum prohibentur, aut omitti cum mandantur. Non negant autem Papiſtæ multos Canones eſſe antiquatos: &, ſi negent, facilis fuerit probatio. Vnum exemplum hic ſatis erit, ex ipſorum vſu. Neocæſarienſis Canon primus iubet durius puniri presbyterum qui ſit fornicatus, quam qui vxorem duxerit, atqui hodie diſputant longè grauius hunc peccare. Secundo, Canones interdum poterant violari abſq; peccato. Gangrenſis 19. ita punit ſoluentes ieiunium, vt excipiat neceſſitatem, *Si quis eorum qui continentiæ ſtudent, abſq; neceſſitate corporea, tradita in commune ieiunia, & ab Eccleſia cuſtodita, ſuperbiendo diſſoluerit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit.* Sic cum Tertullianus, tum Hieronymus docent poſſe abſente Epiſcopo, presbyterum conſignare. Et multa ſimilia, licet paſſim obſeruare.

## Cap. XIII.

### *Paſtorum autoritas alligata mandatis Chriſti. Nihil addendum mandatis acceptis.*

I. BEllarminus ignauiter pugnauit. Nobis nunc conſtantior pugna. Primum hoc eſto telum. Nemo ſubalternus iudex tranſilire debet autoritatis ſibi conceſſæ præſcriptos limites. At omnes Eccleſiaſtici iudices ſunt ſubalterni. Non debent ergo tranſilire præſcriptos ſibi limites. Maior per ſe patet, nam, ſi liceret tranſilire, ergo non eſſent præſcripti, contra hypotheſin. Minor etiam manifeſta, quia omnis iudex vel ſummus eſt, vel ſubalternus. Summi iudices non ſunt Paſtores, ratio facilis, quia nullus iudex ſummus in alieno occupatur regno: at Paſtores occupantur in regno non ſuo, ſed Chriſti: Tum autem, nullus ſummus iudex eſt alterius iudicis Vicarius. At omnes Eccleſiæ Paſtores Vicarij ſunt alterius, nimirum Chriſti. Non ſunt ergo ſummi. Deniq;: Omnes ſummi iudices, dominantur ijs, quibus præſunt. At Paſtores Eccleſiæ non dominantur ijs, quibus præſunt, teſte Petro.

II. His poſitis reliqua facilia. Nam hos ego fines dico eſſe præſcriptos omnibus Paſtoribus, vt ne quas leges ferant à ſeipſis, ſed acceptas prædicent. Hoc probatur. Matth. vlt. *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, dicentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* Matth. 7. *Quod dico vobis in tenebris, dicito in luce, & quod in aurem auditis, prædicate ſupra domos.*

III. Laſciuit hoc loco Bellarminus, & dedignabundus, quaſi furfures excuteret, in ijs, inquit, quæ mandauit Dominus, illud etiam eſſe, vt ſeruētur præcepta prælatorum. Quia dictum, *Qui vos audit, me audit.*

IV. Quaſi diceret, Apoſtolis liberam eſſe datam legationem, nullis terminis, nullis certis coercitam mandatis. Irent quo vellent, proponerent quodcunq; liberet. Quis credat? Non Ianſenius, qui in poſtremum Matthæi, *Tertium eſt, vt poſt doctrinam fidei, & baptiſmum, doceant fideles ſeruare omnia, quæ ipſis erant præcepta Apoſtolis.* Non Caietanus, *Mandaui, Ego: non mandabitis vos: non adinuenietis vos: mea enim mandata ſeruare eſt neceſſarium ad ſalutem, veſtra autem poſſunt eſſe mortifera.*

V. Sed in ijs erant, vt ſeruentur mandata prælatorum. Mira interpretatio: Quæcunq; mandaui vobis, id eſt, quæcunq; ego non mandaui, ſed alij mandabunt. Quid non ſperent ſe perſuaſuros, qui hoc audent? Sed vnde fides? *Qui vos audit, me audit.* Rectè, inquam, quia qui mandata Chriſti loquuntur, ij quum audiuntur, Chriſtus audituri, ſed audiri Chriſtum quum ij audiuntur, qui non mandata eius, ſed ſua loquuntur inuenta, id vero apud amentes fidem inueniat.

VI. Secundum addo argumentum: Si nouas ſubinde leges liceret ferre in Eccleſia neceſſarias, & obligantes conſcientiam: Ergo aliquid nobis liceret facere Deo præter Scripturam. At hoc non licet: Ergo ne illud quidem. Conſequentia per ſe patet. Quia quicquid ligat conſcientiam, id neceſſe eſt fieri Deo, cum conſcientia ſolum Deum agnoſcat iudicem. Atq; adeo Papiſtę cultum Dei conſtituant in ſuis huiuſmodi legibus, & quidem meritorium. At aſſumptum patet Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neq; minuetis ex eo.* Duodecimo, *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, non addas quicquam, neq; minuas.*

VII. Bellarminus totus eſt in explicatione horum locorum, quos etiam nudos recitauit: cum ego vim argumenti expreſſerim: cui certum eſt accommodare ſolutiones. Prima ergo ſolutio eſto, quam ille tertiam conſtituit: inde ſumpta, quod hi loci pertineant ad Vetus Teſtamentum: nos

etiam de Nouo diſputemus. Poſſet, inquit, dici non eſſe eandem rationem Teſtamenti Veteris, & Noui. Lex Teſtamenti Veteris dabatur vni tantum populo, & ad certum tempus: itaque potuit facile determinare omnia in ſpeciali, vt etiam fecit, ac proinde prohibere alias leges. At lex Euágelica datur toti mundo, id eſt, diuerſiſſimarum nationum populis, & vſq; ad finem mundi. Id circo non poterat tam facile determinare omnia in ſpeciali, vt non eſſent adhuc neceſſariæ leges aliæ. Itaque traditæ ſunt communiſſimæ leges de Sacramentis, atq; articulis fidei, alia magis ſpecialia pro locorum & temporum diuerſitate relicta Apoſtolis inſtituenda, eorumque ſucceſſoribus.

VIII. At contra. Fateor eos locos primo & per ſe pertinere ad Vetus Teſtamentum. Sed concludere etiam ſimiliter de Nouo, alias diſputatum eſt, cum ageremus de perfectione Scripturæ, tom.1.lib.8.c.7. Et vero à minori ad maius: ſi legi imperfectiori nihil fuit addendum, quanto minus longe perfectiori? Et ſi hoc non eſt, cur à Cypriano indidem argumentum ducitur, Epiſtola 74.

IX. Sed in hoc eſſe Teſtamentorum rationem aliam atq; aliam, non ſum conceſſurus. Etenim cultus diuini agitur negotium vtrinq;, & ille ſemper pependit à diuino præcepto. Tum autem vtrobiq; Paſtorum autoritas ſubalterna, pendens a diuina, ideoq; diuinis mandatis obnoxia.

X. Sed vni populo, ád certum tempus, poterāt omnia determinari: at omnibus gentibus, & ad finem ſeculi, non poterant. Ergo, inquam, longè maiorem oporteret eſſe in nouo quam in Veteri Teſtamento particulariū legum cumulum, prolixiorem obſeruationum indicem. At hoc ſi eſt, quem Theologum oportet olim fuiſſe Auguſtinum hunc cumulum tam ſolicite eleuantem? Lib.3.de Doctrina Chriſtiana, c.9. *Hoc tempore, poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti manifeſtiſſimum indicium noſtræ libertatis illuxit, nec eorum quidem ſignorum, quæ iam intelligimus operatione graui onerati ſumus: ſed quædam pauca pro multis, eademque factu facilima & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina.* Epiſt.118. *Primo itaq; tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput: Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio loquitur, leni iugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ leui: vnde Sacramentis numero pauciſſimis obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit.* Vide item Epiſtolam centeſimam decimam nonam extremam, & de vera religione cap.17.

XI. Id, inquam, quomodo poteſt conſtare? Ponit enim Bellarminus, potuiſſe determinari ſingula in Veteri lege, non poſſe in noua. Ergo, inquá longè longèque diſparem nomenclaturam eſſe neceſſe eſt: nam quomodo non æquè numerari poſſent, ſi non eſſent plura? quomodo non facilius, ſi eſſent pauciora? Quis autem credat non eſſe grauius iugum, vbi plura ſunt obſeruanda, & quidem ex neceſſitate conſcientiæ? maxime cum Auguſtinus in explicanda leuitatis ratione paucitatem nunquam omiſerit?

XII. Tum autem hæc particularia, cuiuſmodi ſunt? hæc, inquam, particularia, quæ non poterant ab initio determinari? Vel enim neceſſaria ad pietatem, vel non neceſſaria. Si non neceſſaria: cur dicuntur non potuiſſe determinari, quæ potius non debebant? Nam, quæ legiſlatoris prudentia ferat, eum occupari in ijs rebus, quas vſurpes, an omittas nihil interſit. Sin erant neceſſaria, ergo ab initio Chriſtianitatis pietas fuiſſet dimidiata: imo multo minus quam dimidiata. Quod quis credat ſanus? cum ea fuerint tempora, quorum pietati, nulla deinceps æquari potuerit temporum pietas?

XIII. Præterea, ſi non potuerint determinari, cauſſam neceſſe eſt imputari vel legiſlatori, vel ijs quibus leges dabantur. Legiſlatoris culpam fuiſſe, quis concedet? Nam is Deus eſt. Atqui legiſlatoris culpam neceſſe eſt eſſe ab infirmitate, ſiue autoritatis, ſiue mentis, quæ non omnia concipiat præſentia, multo minus omnia præuideat futura. Vnde fit, vt poſteriores, obſeruatis multis, quæ erant omiſſa, leges nouas condant: nec tantum alias, ſed etiam contrarias. Quomodo Auguſtinus iampridem pronuntiauit de Baptiſmo contra Donatiſtas 2.c.3. *Epiſcoporum literas, & per ſermonem forte ſapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem autoritatem, doctorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis fortè à veritate deuiatum eſt. Et ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere, ipſaq; plenaria, ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* [I]am Deo quis quenquam præferat, ſiue autoritate, ſiue mentis ſapientia?

XIV. Quid ergo? an ab auditorum impotentia? Fortè: quomodo Chriſtus negauit diſcipulos ſuos ferre poſſe omnia, quæ habebat dicenda. Hoccine igitur noſtri Sophiſtæ dicent? Ego vero mirabor, ſi hodierni noſtri Papiſtæ (nam hi omnes ſuas nouas leges capiunt, à maxima ad minimam) capaciores ſint Apoſtolis: mitto Apoſtolos: capaciores ſint ijs, qui ab Apoſtolis docti. Iis, inquam, qui in omnibus abundabant fide & ſermone: poſt. ad Cor.1. Iis quos vnctio docebat, vt neceſſe nō haberent, vt quiſquam doceret eos, 1. Ioannis 2.

XV. Venio ad alteram Bellarmini ſolutionem. Ea eſt in duplici diſtinctione additionis, quæ pertinet ad ſyllogiſmi aſſumptionem. Primo hanc additionis prohibitionem non debere intelligi, niſi legum contrariarum prioribus.

XVI. Quomodo, inquam, cōtrariarum? An quæ negant, quod illæ affirment: & contra? vt ſi priores vetent adorari idola, poſteriores præcipiant: Atqui hæc non additio eſt, ſed exautoratio legis. Quis enim neſcit addi leges legibus, cum vtræque obſeruantur? At, quæ contrariæ ſunt, quomodo poſſunt ſimul obſeruari? Niſi fortè contrariæ ſint tantum per conſequentiam. Sed hoc modo ſi contrarias Bellarminus explicet, ſuis quomodo conſulet? Nam, quia noluit Spiritus quicquam oneris imponere Eccleſiæ, in rebus quidem indifferentibus: certè, qui ijſdem, ſiue vſurpandis, ſiue cauendis legem ponit, hanc neceſſe eſt per cōſequentiam contradicere legibus prius poſitis, huic ipſi ſaltem, quæ adiaphora reliquit in vſu libero. Itaq; ne hæc quidem ſolutio nauci eſt.

XVII. Altera diſtinctio additionem geminam ponit, vel quæ ad numerum præceptorum pertineat, ſcilicet ex decem duo[decim] faciat, vel quæ ad rem præceptam, vt cum iubetur agnus vnus comedi, comedantur duo. Additionem prohiberi nō prioris generis, ſed poſterioris. Et probat quia Iudæi inueniantur addidiſſe ad numerum præceptorum Eſter 9. obſeruationem dierum decimæ quartæ, quintæque menſis Adar. Iudith vlt. diem victoriæ de Holopherne. Primi Machabæ. 4. diem dedicationis templi.

XVIII. Imo diſtinctio eſt friuola & nugatoria. Etenim, vel cōſiderantur numerus & res, diſparatè, vt numerus tantum fiat diuerſus, res autem non multiplicetur, & contra, vel coniunctim. Si diſparatę, φλυαρεῖ Sophiſta: nos enim nō diſputamus de ratione tradendi: ſecundum quam & multa capita conferri poſſunt in vnam legem: & vna lex diſtingui in multa capita: ſed loquimur de rebus ipſis, quæ ſunt ſubiectum legis. Scimus res plurimas inter ſe conuenire, generali aliqua conſideratione, ideoq; & vno faſce cōprehendi, vt factum in poſtremo Decalogi mandato, complectente & vxorem proximi, & domum, & bouem, & aſinum. Rurſus differre ſuis circumſtantijs: vnde diſtingui in ſuas claſſes: hinc decem præcepta numerata, poſt commode in duo tantum relata. Breuiter, quicquid huiuſmodi eſt, ad τεχνικὴν μέθοδον pertinet, quam ſcimus variari poſſe: non ad noſtram cōtrouerſiam, quæ tota eſt de rebus præceptis prohibitiſue: vt ex ſtatu quęſtionis fit manifeſtum. Nam hic erat de rerum adiaphorarum vſu. Itaq; non hoc quæritur, vtrum poſſint numero augeri minuiue præcepta: ſed vtrum quæ à Deo relicta ſunt libera, ea in alterutram partem poſſint ab Eccleſia fieri neceſſaria, ſiue vno præcepto, ſiue pluribus.

*XIX.* Iam, ſi res coniunctim conſideres cum numero, & has, quatenus ſunt inter ſe diſtinctæ, & leges item, vt ſunt præceptiones, prohibitiones ſuarum quæq; rerum, tum dico non poſſe aut multas dici leges, dum res vna manet eademq;, aut res eſſe plurimas, non multiplicatis legibus. Ideo enim duas eſſe leges, vnam, quæ prohibeat coli plures deos, alteram quæ idola haberi: nempe quia aliud eſt habere Idola, aliud coli plures deos & ſic de reliquis.

XX. Quid iam? Concedo non eſſe veriſimile, Deum voluiſſe populum ſuum occupari in Dialecticis tricis, quomodo Thom. 1.2.quæſt.100. art.4. inquiſiuit vtrum præcepta Decalogi conuenienter diſtinguantur, quinto, vtrum conuenienter enumerentur: ſexto, vtrum conuenienter ordinentur: ſeptimo, vtrum conuenienter tradantur, Item 22.quæſt.1.art.6, vtrum credibilia ſint per certos articulos diſtinguenda: octauo, vtrum articuli fidei conuenienter enumerentur: nono, vtrum conuenienter ponantur in ſymbolo. Sed potius de rebus ipſis certum eſſe, vt cognitas haberet, & conſtitutas? Nam certè verba ſunt Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neq; auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Duodecimo: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino.* Cuſtodire, & præcipere nō inanem curioſumque numerandi laborem ſignant, ſed religioſum operandi ſtudium. Nec aliter Cyprianus intelligebat.

*XXI.* Quis igitur non videt ſolutionis ineptitudinem? Agimus nos de imperandis, prohibendiſve rebus, quas Deus neque imperarit, neque prohibuerit. Exempli gratia, nomino eſum carnium tempore quadrageſimæ. Eſto igitur lex, Carnes quadraginta dies ante Paſcha nemo edito. Additum legibus diuinis, nemo negat: ipſe enim ſtatus quæſtionis ponit. Sed quomodo additum: an tantum ad augendum numerum præceptorum, an etiam rerum? Nam, ſi hoc potius poſterius, non it inficiat Bellarminus, quo minus huc ſe prohibitio porrigat. Quis autem tam inſanus eſt, vt quam rem neq; prohibuerat, neque imperarat Deus, qui prohibeat, hunc putet numero tantum, non etiam rebus augere præcepta? Quid eſt ergo cauſſæ, quominus ire ſe fateantur Papiſtæ contra Verbum Dei?

XXII. Niſi fortè adeo ſit importunè λεπτολόγος Sophiſta, vt intelligat, licere quidem omnibus præceptis præcepta addere, at non ſingulis, vt exemplo videtur expreſſiſſe, non licere agnos duos comedere, cum vnus ſit imperatus. Sed hoc ſubtilitatis genus Cypriano nondum innotuerat: cum ab his locis non eſſe recipiendam eam, quam oppugnaret traditionē, ſe ſperabat probaturum. Non Tertulliano: qui, *Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud adijcientibus, vel detrahentibus deſtinatum.* Non opinor, Procopio qui ad initium Deuter. *Verba Dei, cum plena & perfecta exiſtant, nullum auctarium admittunt.*

*XXIII.* Quanquam hoc ſi daretur, non effugerent Papiſtæ, qui non tantum præceptorum numerum auxerunt: ſed etiam ipſi præceptorum operi addiderunt, quæcunque libuit: vt patet ex Euchariſtia & Baptiſmo quæ à prima puritate & ſimplicitate in operoſam myſtagogiam demutata ſunt: adeo vt nullius apud Iudæos ſacrificij tot fuerint capita, tam curioſæ obſeruatiunculæ, tam perplexæ cautelæ.

*XXIV.* Sed eſt verum nihilominus, inſtitutam fuiſſe longe poſt legem latam, dierum aliquot obſeruationem, tum Eſteræ, cum Machabæorum tempore, nam Iudith, fabula eſt. Quid tum autem? Aut quis docet eam inſtitutionem ſimpliciter religioſam fuiſſe potius, quam ciuilem, cum nullum nouum cultum inſtituat, ſed eiuſdem olim inſtituti exercitium ſpeciale, ob inſignis liberationis: ab hoſtium tyrannide memoriam.

*XXV.* Sed hæc hactenus. Supereſt vnum adhuc effugium Bellarmino: Moſes non alloquitur Principes, quorum eſt leges condere, ſed populum, cuius eſt obedire. Ergo ſolum præcipit id, quod populo conueniebat præcipi, nimirum vt impleret integrè opera præcepta non addendo vel minuendo. Probat ex cap.5. *Facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinabitis neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram.*

*XXVI.* Imo alloquebatur vniuerſum Iſraelem. Cap.1. *Hæc ſunt verba, quæ loquutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael.* Atqui, non vniuerſus Iſrael, ſi excludas Principes, id eſt, in hoc quidem ſermone, Leuitas. Imo hi ipſi disertè annumerati, c.12. *Ibi epulamini coram Domino Deo veſtro*: totum Iſraelem alloquitur: ſed explicat per partes, ſtatim, *Vos & filij, ac filiæ veſtræ famuli, & famulæ, atq; Leuites.* Et rurſus, *Coram Domino Deo tuo comedas ea in loco quem elegerit Dominus Deus tuus: Tu & filius tuus, & filia, & ſeruus, & famula, atq; Leuites.* Si ergo vniuerſo populo hæc præſcribebātur, & in vniuerſo populo principes Eccleſiaſtici (nam ij erant Leuitæ) certè principibus Eccleſiaſticis, iſthæc oportuit præſcribi, contra quam ſophiſticatur Bellarminus.

XXVII. Et tamen, fac ita eſſe: atque his verbis ex profeſſo ſeparaſſe plebem à principibus. Quid promouit Sophiſta? Nempe, plebi vt ſit imperatum hæc tantum facere, quæ imperabantur à Deo. Et tu mihi hinc concludas licuiſſe principibus nouas leges ponere? Quibus quæſo? Et quorſum? An non obtemperaturis? Nam profectò, ſi plebi prohibitum quicquam facere Domino, præter ea quæ erant imperata: ergo plebi interdictum erat obſequi nouis legibus. Quare eo ipſo, intelligendæ ſunt prohibitæ nouæ leges à principibus ferri, quod prohibitum ſit nouas leges obſeruari à plebe. Alia ratio eſſet, ſi legeremus, Non addetis ad verbum quod loquentur vobis Sacerdotes: vel quod præcipiunt tibi Pontifices, hoc tantum facito Domino. Sed quis vnquam ita loquutum finxit Spiritum Sanctum?

## Cap. XIV.

### *De Legiſlatore.*

I. TErtium argumentum. Si Paſtores Eccleſiæ poſſent leges imponere, Ergo eſſent legiſlatores Eccleſiæ. At hoc falſum. Ergo & illud. Conſequentia patet ab Etymo: eſt enim legislator is qui leges fert. Aſſumptum probatur, quia vnicus eſt Eccleſiæ legiſlator Deus. Eſaiæ 33. *Dominus Rex noſter, Dominus legislator noſter, Dominus Iudex noſter: ipſe ſaluabit nos.* Iacobi quarto, *Vnus autem legislator, qui poteſt ſeruare & perdere.*

II. In quibus locis, præter teſtimonij autoritatem, etiam ratio continetur: Quicunq; eſt legiſlator Eccleſiæ, is habet poteſtatem vitæ & mortis, id eſt, ſaluandi & perdendi. At Paſtores Eccleſiæ non habent poteſtatem vitæ & mortis. Ergo non ſunt Eccleſiæ legiſlatores. Hanc rationem obſeruauit Oecumenius in Iacobi locum, οὐδὲ ἔξεστί σοι, ἑνὸς μόνου νομοθέτου ὑπάρχοντος τοῦ Θεοῦ, τοῦ δυναμένου τοὺς παραβάτας τοῦ νόμου αὐτοῦ σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, τοῦτο γὰρ νόμου καὶ νομοθέτου τὸ τοὺς παραβάτας αὐτοῦ ὑποδίκους τιμωρίας ποιῆσαι, *Non enim tibi licet, cum vnus ſolus ſit legislator Deus, qui poſſit tranſgreſſores legis ſuæ ſeruare, aut perdere. Hoc enim legis eſt & legislatoris, tranſgreſſores pœnæ reos facere.*

III. Gretſerus negat aſſumptum, & contra probationem obijcit, eodem argumento euerſum iri legiſlationem politicam. Nam, ſi vnus duntaxat eſt legiſlator, vnde tot legiſlatores ciuiles? vnde tot iudices? Quod ſi tot legiſlatores ciuiles & iudices, non tollunt vnitatem ſupremi illius legiſlatoris, & iudicis, profectò neque Eccleſiaſtici legiſlatores & iudices.

IV. At ille oppugnat non nos, ſed diſerta Spiritus verba: Nam *Vnus legislator,* εἷς νομοθέτης apud Iacobum (id eſt, interprete Oecumenio, εἷς μόνος νομοθέτης, *vnus ſolus legislator*) non poteſt multitudinem ferre. Inſtantia à legiſlatoribus ciuilibus, eſt importuna: nihil enim illi pertinent ad Eccleſiaſticos: neq; quiſquam dixit vnquam, vnum eſſe legiſlatorem politicum Deum, cum contra manifeſtiſſima ſit experientia. Sed & ratio: neque enim Deus ſolus poteſt perdere & ſaluare politicè, id eſt, vt loquebatur Oecumenius, pœnæ reos ferre tranſgreſſores. Imo Chriſtus ipſe contra docuit. Matth. 10. *Ne timete ab ijs qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare, ſed timete potius eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehenna.* Vbi manifeſtum eſt comparari ſic homines Deo, vt hic poteſtatem habeat puniendi tum corpus, tum animam, at illi tantum corpus. Paul. 13. ad Roman. *Si feceris quod malum eſt, metue: non enim temere gladium geſtat: nam Dei miniſter eſt vltor ad iram ei, qui quod malum fecerit.* In Eccleſia autem, de pœnis agitur animæ, in republica, corporis: quare nihil mirum, ſi ſit & in Eccleſia vnus tantum legislator Deus, & in republica plures legiſlatores præter Deum.

V. Bellarminus diſtinguit legiſlatorem primarium, & ſecundum. De primario concedit argumentum: de ſecundario negat aſſumptum: & Eſaiã Iacobumq; ponit loquutos de primario duntaxat. At Pontifices eſſe ſecũdarios: vnde Cyprianus appellat Epiſcop. Iudicem vice Chriſti Epiſtola 55.

VI. Diſtinctio valeret, ſi iudicem duntaxat vnum legeremus: nam manifeſtum eſt Iudices alios ſummos eſſe, alios ſubalternos. Hos, qui ex ſummorum præſcripto iudicant de rebus ſingularibus, ſiue, vt loquitur Ariſtoteles, καθ᾽ ἕκαστα. Illum vero qui leges præſcribit, ſecundum quas ſubalterni iudicent. Sed nos eundem iudicem legimus, & Regem, & legiſlatorem. Eſt autem abſurdum, Regem diſtinguere in primarium & ſecundarium: quia omnis Rex, ſummus eſt: at nullus ſecundarius ſummus. Cum ergo nos loquamur de eo iudice, qui non tantum iudex eſt, ſed etiam Rex, eo ipſo conſtat agi de ſummo iudice.

VII. Ad legiſlatorem quod attinet, variè id nominis vſurpari video, prout lex intelligitur vel formaliter, vel tantum materialiter. Nam eo nomine vel ipſæ deſignantur ſententiæ, quatenus ſignificant id quod faciendum, cuiuſmodi leges ſunt Platonis, vel præterea autoritas, per quam fiunt vere leges, adeo vt priori ſenſu leges impropriè dicantur, quomodo lapides, & ligna dici poſſunt domus, quia ad id deſtinata. Legislator ergo proprijſſimè dicitur, qui eiuſmodi ſententijs, ſiue à ſe inuentis, ſiue aliunde ſumptis, vim dat legis, cuiuſmodi legiſlatores fuere apud Lacedæmonios, Lycurgus: apud Romanos Numa: Vnde Oecumenius dicebat legiſlatoris eſſe, τὸ τοὺς παραβάτας ὑποδίκους τιμωρίας ποιῆσαι.

VIII. Sed latius producto nomine, ij etiam dicti, qui ſententias eiuſmodi ſufficerent, tanquam materiam, cui poſt, ab alio tanquam forma adderetur: ſicut Solon apud Athenienſes, non enim ſua ille autoritate ſtatuit leges: ſed ſuo ingenio leges conſcripſit, quas poſtmodum populus ſanciuit, penes quem autoritas erat. Romæ tamen parcioris vſus: nam etſi non pauci fuerint, qui populo leges ſuaſerint, tamen eorum neminem video legiſlatorem appellatum, ſed tantum leges de eorum nomine cognominatas.

IX. Sed ij longè durius abuſi eodem vocabulo, qui Moſen dixerunt legislatorem Iudæorum, in quibus Philo eſt: quanquam certum à Moſe, neq; inuentas leges, neq; ſancitas, ſed à Deo per eum miniſtrum imperatas. Vnde, quod alias durius dictum, idem Philo quodammodo molliuit ſtatim initio libri de vita Moſis, cum ſe pollicetur vitam ſcripturum Μωσέως τοῦ κατὰ μέν τινας νομοθέτου τῶν Ἰουδαίων, κατὰ δέ τινας ἑρμηνέως νόμων ἱερῶν. Nam certè fuit ille potius interpres, quam lator: ac proinde Prophetam inuenimus appellatum Deut. 18. & Sacerdotem. Pſalm. 99. ſed legiſlatorem nuſquam.



X. Quum ergo triplex ſit vſus legiſlatoris nominandi, tertio quidem nullus in hac diſputatione locus: nam interpres, quarum legum interpres eſt, eas aliunde habet, nempe à Deo: in Eccleſia quidem: At quas leges ipſa condit Eccleſia, non habet aliunde; tum vero etiam non à Deo: quia ſupponimus res indifferentes, liberas permiſſas à Deo. Tum hæc acceptio non admittit diſtinctionem primarij & ſecundarij: cum interpres nullus poſſit eſſe primarius legiſlator. Sed ne ſecunda quidem acceptio apta ratio, quia, quas à ſe leges Eccleſia componit, eas nõ aliena autoritate ſancit. Supereſt ergo prima acceptio, vt legiſlator dicatur Eccleſia, quia ipſa & profert, & ſancit leges. Atqui hoc modo nunquam hactenus auditum huius generis legiſlatorem vllum eſſe ſecundarium, neq; vllum dabitur vllius Reipublicæ exemplum.

XI. Verum hæc, ſi libet omittere: quid Iacobo fiet? Nam is negat à fratre fratrem iudicandum: hoc argumento, quod vnus ſit legiſlator, qui poſſit ſeruare & damnare. Quorſum hic legiſlator primarius, ſecundarius? Dauus ſum, non Oedipus: itaq; hæc ænigmata non capio: οὕτως ἀγροικός εἰμι καὶ δυσμαθής. Nam, quia ad omnes legiſlatores pertinet, leges ferre, quæ damnent τοὺς παραβάτας; certè ſi ſint alij legiſlatores præter Deum, erunt etiam aliæ leges præter legem diuinam, ſecundum quas licebit fratrem iudicari. Itaq;, cum diuinam obieceris, non effeceris quominus aliæ ſuperſint, quibus ſe temerarij iſti iudices tueri poſſint. Atque ita conciderit Apoſtoli ratio. Non enim erit neceſſe iudicari, ſecundum legem diuinam: niſi ponas omnes leges alias huic eſſe contrarias. Quod ſi eſt, tum illæ non erunt legitimæ; ideo ne leges quidem; ac proinde vnus omnino legiſlator.

XII. Bellarminus huic nodo ſatisfacturus, Iacobum ponit alloqui omnes homines, quatenus ſubſunt alicui legi: itaque velle, nemini licere iudicare legem ſui ſuperioris: hac ratione, quod vnus ſit ſummus & primarius legislator, qui ſolus dare legem, non accipere debeat.

XIII. Atqui primo falſum, alloqui omnes homines, quatenus ſubſunt alicui legi: ſed tantum, quatenus ſubſunt legi Dei. Hanc enim ſignificat in Scripturis ὁ νόμος: Nec aliter interpretibus viſum. Gagnæo, *Quam autem legem iudicat, qui fratrem iudicat: eam, quæ ait, Nolite iudicare, & non iudicabimini,* Et ante hunc Oecumenio: ποῖον δὲ νόμον; πρῶτον μὲν τὸν διαγορεύοντα, μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε, ἔπειτα καὶ τὸν ἐν ψαλμοῖς, τὸν καταλαλοῦντα λάθρα τοῦ πλησίον αὐτοῦ, τοῦτον ἐξεδίωκον. *Quam legem? Primo eam quæ præcepit Ne iudicate, vt ne iudicemini: Deinde illam in Pſalmis, obloquentem clã proximo ſuo, hunc perſequebar.* Et vero ita exigit addita legiſlatoris vnius mentio, *Tuum non eſt iudicare, neq; abrogare legem, ſed eius qui eſt vnus & ſolus legislator Chriſtus.* Atqui leges ſuas poſſunt ipſi legiſlatores abrogare: atque adeo Papæ id ſibi iuris vindicant, vt prædeceſſorum decreta poſteriores poſſint refigere, vt notauimus cap. 16. lib. 3. tom. 1.

XIV. Præterea cogor hic etiam meam tarditatem agnoſcere, non aſſequentis vim aut formam argumenti. Vnus eſt ſummus legiſlator, qui leges dare, non accipere debeat: Ergo nemo debet iudicare legem ſui ſuperioris. Exſpecto, dum quis mihi huius Sphingis ænigmata ſoluat. Certe enim non omnes ſuperiores, ijdem ſummi ſunt.

## Cap. XV.

### *De mandatis hominum.*

I. PErgo ad argumentum quartum: Nulla hominum mandata legitima ſunt ad cultum Dei: At omnes Pontificum conſtitutiones, ſunt humanæ: Nullæ ergo Pontificum conſtitutiones ſunt ad cultum Dei legitimæ. Minor patet per ſeipſam: quia hæc noſtra controuerſia Pontificum conſtitutiones ſupponit in rebus, quæ ſunt à Deo permiſſæ liberæ: itaque non poſſe dici mandata Dei, manifeſtum eſt. Maior probatur ex Eſa. 29. *Dixit Dominus: Propterea quod appropinquauit populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis honorauerunt me, cor autem eius elongauit ſe à me, fuitq; timor eorum quo timuerunt me, mandatum hominum edoctum: propterea: Ecce ego addam vt mira faciam in populo iſto: mira, inquã, & miraculum, peribitq; ſapientia ſapientũ eius, & intelligentia intelligentium eius abſcondet ſeſe.* Matth. 15. *Hypocritæ, bene de vobis prophetauit Eſaias: Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labijs me honorat: cor autem eorum procul eſt à me: Sed fruſtra me colunt docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum,* Marc. 7. *Interrogarunt eum Phariſæi, & Scribæ, Quare diſcipuli tui non ambulant, ſecundum traditionem ſeniorum, ſed illotis manibus edunt panem? Ille vero reſpondit, & dixit eis: Enimuero bene prophetauit Eſaias de vobis hypocritis, vt ſcriptum eſt: Populus iſte labijs me honorat, cor autem eorum procul eſt à me: fruſtra vero me colunt docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum. Nam omiſſo mandato Dei, tenetis traditiones hominum, lotiones ſextariorum, & poculorum, aliaq; ſimilia eiuſmodi facitis.*

II. Bellarminus diſtinguit hominum mandata, vt alia ſint generali notione hominum præcepta: alia vero ſtrictius, quæ omnino ſint humana, ita, vt, nec Deo iubente, nec inſpirante, nec eius autoritate vllo modo conſtituta ſint: Et horum rurſus quædam eſſe contraria diuinis mandatis: quædam inutilia prorſus & vana. De iure humanis concedit maiorem: ſed minorem negat, negandi rationem habet, quod in Scripturis Eccleſiaſtica mandata nunquam dicantur mandata hominum: item, quod reprehendi nequeant, cum nec pugnent diuinis mandatis: nec ſint inutilia: neq, anteponantur, ſed poſtponantur diuinis. At de altero membro, nihil ille quidem pronuntiat diſerte: ſed tamẽ poſtulat rectè diſputandi ratio, vt minorem concedat: nempe mandata Eccleſiaſtica eſſe aliquo modo humana ſed maiorem neget, & contra ſtatuat, mandata aliquo modo humana eſſe legitima ad cultum Dei.

III. Ad locos ergo citatos reſpondet, Chriſtum non reprehendere quæcunque humana mandata; ſed quædam duntaxat. Primo, quæ ſunt contraria

raria legi diuinæ, vt Matth.15. vt conſtat ex his verbis, *Irritũ feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*: item ex Irenæo libr. 4. c.25. & 26. Secundo, quæ erant inutilia & friuola, ſolo ſpiritu humano adinuenta, & tamen antepoſita diuinis: Marc.7 *Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum.* Tertio, quæ erant quidem bona, ſed pluris fierent, quam lex diuina. Matth.23,

IV. Sed nos diſtinctionem humanorum mandatorum vellemus explicatam diligentius. Vnum quidem nos membrum videmus ſatis expreſſum: præcepta videlicet omnino humana: ea nempe, quæ ita ſunt ab homine, vt neque inſpirante Deo, neq; iubente: ac ne quidem vlla eius autoritate conſtituta. Verum oppoſitum membrum querimur relictum incertum: duntaxat coniectandum ex pauculis illis, cum dicuntur Eccleſiaſtica mandata eo dici humana, quod non ſint immediatè à Deo. Quo tamen nihil incertius. Nos igitur explicabimus diſtinctius.

V. Eſto omnibus humanis præceptis commune, vt ſint per hominem. Sed illis, iuſſione, inſpiratione, autoritate, quid futurum eſt? An vt intelligamus eſſe quædam per hominem, non tamen abſque iuſſu, inſpiratione, autoritate Dei: quædam ex iuſſu quidem, at non ex inſpiratione, & autoritate, quædam ex inſpiratione non tamen iuſſu & autoritate: quædam, neq; ex iuſſu, neq, ex inſpiratione, ſed tamen ex autoritate Dei? Nam his totidem modis, & fortaſſe pluribus permutari poſſent. Sed examinemus. Nos, quæcunque erunt ex iuſſu, inſpiratione, autoritate Dei, admittimus eſſe legitima: neq; permittimus appellari humana: Nam leges Moſis hoc modo latę fuere, & tamen, quamuis per miniſterium Moſis, ſemper diuinæ appellatæ. Eadem ratio Euangelij. Itaque hæc præcepta nihil ad noſtram quæſtionem. At præcepta ex iuſſu Dei, non tamen ex eius inſpiratione, & autoritate nulla poſſumus agnoſcere, ne Papiſtas quidem putamus: fieri enim non poteſt, vt iuſſio Dei deſtituatur eius autoritate. Eadem ratio præceptorum ex inſpiratione, abſque iuſſu & autoritate. Nos enim, ſiue per publicam iuſſionem, ſiue per arcanam inſpirationem pateſiat voluntas Dei, non poſſumus ſeiungere ab autoritate.

VI. Itaque ſupereſt illud membrum quo ſignificantur mandata, neq; ex iuſſu, neque ex inſpiratione Dei: ſed tamen ex autoritate. Equidem velim à Bellarmino ſignificatum, putetne aliqua eſſe huiuſmodi. Quando ille neglexit, diuinabo, videri eum putare: nimirum vt autoritas illa ipſa Epiſcopatus, quæ inſtituta à Deo eſt, ſemper diuina intelligatur: & quæcunque Epiſcopi agant ex ea autoritate, eadem cenſeri, fieri autoritate diuina. Porro ea quæ ſuo proprio motu Epiſcopi inſtituunt fieri, neq; iubente, neque inſpirante Deo: nam ſi ſaltem inſpirata conſtet, ne nos quidem negaturi ſumus eſſe diuina. Tandem igitur diſtinctionem Bellarmini ita conſtituamus: vt mandata hominum ſint alia neque ex iuſſu, neque ex inſpiratione, neque autoritate Dei: quomodo ſi quis in Eccleſia priuatus mandaret aliquid: alia autem, neq; ex iuſſu, neque ex inſpiratione, ſed tamen ex autoritate Dei: quomodo, cum Epiſcopus Catholicus aliquid iubet. Et de illis negari minorem: De his vero maiorem.

VII. Sed nos primo maiorem dicimus eſſe veriſſimam de ijs ipſis, quæ ſola illa Dei autoritate, non autem iuſſu, aut inſpiratione dicuntur conſtare. Argumentum manifeſtum ex locis Matthæi & Marci, quibus Eſaiæ repetitur illa damnatio: Nam diſertè habes traditionem Seniorum τῶν πρεσβυτέρων. Quis autem neſcit hoc nomine, eos deſignari, quibus erat ordinaria in Eccleſiam iuriſdictio? Nam & Franciſcus Lucas interpretatur, *Eos qui in populo Dei primas olim in cauſa religionis obtinuerunt.* Tum autem interrogatio erat Scribarum & Phariſæorum: at hos Chriſtus teſtatur ſediſſe in Cathedra Moſis, Matth. 23. & hanc quis Papiſtas non audijt inculcantes pro Eccleſiaſtica autoritate? Quare certum eſt, Chriſtum de ijs mandatis agere, quæ obtruderentur Eccleſiæ, prætextu eius autoritatis quæ habetur legitima in Eccleſia.

VIII. Quanquam nos quidem etiam generalius pronunciamus, nihil poſſe diuina autoritate ſancitum dici, quod non ſit à Deo aut iuſſum, aut inſpiratum. Et probatur: quia, nihil quod ſancitum ſit diuina autoritate, reuocari poteſt vlla oppoſita ratione, niſi per nouam iuſſionem, aut inſpirationem, quomodo mutatæ fuerunt ceremoniæ Moſaicæ. At quæcunq; ſanciuntur abſque iuſſu & reuelatione diuina, reuocari poſſunt abſq; noua iuſſione aut reuelatione, & tantum propoſita noua ratione: non poſſunt ergo dici ſancita autoritate diuina. Probatur minor, tum ex Auguſtino, cap. 3. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, *Quis neſciat, Epiſcoporum literas, quæ poſt confirmatum Canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem autoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi?* Tum ex Epiſcopis Romanis. Nam Ioannes 22. in Extrauagãtibus de Verborum ſignificatione, c.2. ſanciuit in hunc modum, *Quia nonnunquam, quod coniectura profuturum credidit,* (id eſt, ſancitum fuit abſque iuſſione & reuelatione diuina) *ſubſequens experientia* (non noua reuelatio,) *nociuum oſtendit, non debet reprehenſibile iudicari, ſi canonum conditor canones à ſe vel à ſuis prædeceſſoribus, reuocare, modificare: vel ſuſpendere ſtudeat.*

IX. Itaque ne minor quidem poterit negari. Nam quod obſeruat Bellarminus non dici in Scripturis Eccleſiaſticas traditiones, humanas, cuiuſmodi eſt quæſo? Nam, vel ipſa vrget vocabula: & tum nihil habet quod nos moueat: nam, quæ nullas vnquam nominet traditiones Eccleſiaſticas quid mirum ſit, ſi non dicat humanas? Sin autem rem ipſam potius attendit, falſum pronunciat: nam quia traditiones huiuſmodi ſunt præter legem Dei: & omnes traditiones præter legem Dei, etiam Seniorum, & eorum qui ſedebant in cathedra Moſis, appellantur doctrinę hominum: profecto neceſſe eſt has Eccleſiaſticas traditiones, de quibus inſtituta diſputatio eſt, hoc eodem nomine contineri. Tum autem, quid illud eſt, *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Poteſtne non eſſe humana traditio, illa traditio veſtra, oppoſita mandato Dei?

X. Sed has negat Eccleſiaſticas conſtitutiones, vel repugnare legibus Dei, vel eſſe inutiles, vel præferri legi Dei. Imo, inquam, nec hæ tantum reprehendebantur à Deo: ſed etiam aliæ, quæ neque contrariæ erant, neq; præferebantur legi Dei, ſed erant indifferentes: & æquabantur legi Dei: cuiuſmodi illæ ſunt omnes, de quibus diſputatio nobis eſt. Nam indifferentes eſſe, patet ex ſtatu quæſtionis: æquari legi Dei, probatur, quia obligare dicuntur conſcientiam: quod legibus diuinis ſolis competit.

XI. Inutiles etiam dico plurimas eſſe, vt quæ tam ſcrupuloſè verſantur circa vaſa quæ vocant ſacra: vt peccet mortaliter, laicus, qui manibus nudis contingat calicem: etiam presbyter, qui calice vtatur fictili, & qui celebret abſque definitis veſtibus. Tum autem alia huius generis infinita. Deinde inutiles eſſe dico omnes, omnino, quo ſenſu ſancitæ ſunt de ijs leges. Nam quæ res ſunt indifferentes, non poſſunt, niſi per accidens eſſe pietati vtiles, ideoque non ſemper, ſed tantum certis obſeruatis circumſtantijs Aſt hæ leges has omnes circumſtantias negligunt: ideoq; ex rebus quæ non ſunt ſemper vtiles, faciunt ſemper neceſſarias. Itaque hoc etiam reſpectu continentur ijs legibus, quas damnat Scriptura.

XII. Superſunt locorum citatorum expoſitiones, Matth. 15. negat Ieſuita reprehendi humanas quaſcunque traditiones: ſed tantum contrarias legi diuinæ. Sed quomodo, inquam, contrarias? Directene, vt iubeant aliquid prohibitum: Aut indirectè, quod fuerint præter legem, & eatenus legi ſint aduerſatæ, quæ ſola obtinere debuit? Nam hoc certè poſteriori modo fatear fuiſſe contrarias. Sed quid inde Bellarmino emolumenti? Fruſtranea enim diſtinctio eſt: quandoquidem omnes omnino humanæ conſtitutiones, ſic ſunt contrariæ legi diuinæ, ac proinde eandem ob cauſam reprehendendæ.

XIII. An igitur directè malit potius? At hoc falſum. Agebatur enim de lauandis manibus: qua in re ſuperſtitioſiſſimi Iudæi erant. Aſt hanc manuum lotionem, quo mihi loco prohibitam monſtrabit Sophiſta? Imo, inquit, Chriſtus accuſat irritum facientes mandatum Dei. Ita eſt, inquam: verum nego dictum de manuum lotione: ſed de altero mandato quod erat directè contra præceptum de honorandis parentibus. Nam cum criminati eſſent Scribæ Diſcipulos, quod contra traditionem ſeniorum manus non lauarent: Chriſtus ita reſpondit, vt primo ijs ἀντικατηγορίαν opponeret longe grauioris criminis, *At ille reſpondens dixit eis, Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem veſtram? Nam Deus mandauit dicens, Honora patrem tuum & matrem: & qui maledixerit patri & matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunq; dixerit patri & matri, Donum quodcunq; à me erit, tibi proderit, etiam ſi nequaquam honorauerit patrem ſuum, aut matrem ſuam. Et irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem veſtram.* Viden' vt vno ſpiritu hæc omnia cohæreant? Vt manifeſtum ſit, irritum fieri honorem parentum, per illam traditionem? Deinde reſpondet propoſitæ quæſtioni dupliciter: primum citatis Eſaiæ verbis, quibus grauiſſimè corripiebatur eiuſmodi cenſorum hypocriſis, qui in rebus nullius momenti conſtituerent cultum Dei: deinde ratione reddita apud plebem, quæ intrent per os, ea non inquinare.

XIV Sed Irenæus, inquit, exponit de præceptis pugnantibus cum diuinis legibus. Imo Irenæus, inquam, contrariam legi traditionem gemina diſtinguit ratione, tum per tranſgreſſionem, & ad hanc refert illud, de irrito mandato diuino: tum per legem legi oppoſitam, quæ & auferret, & adderet, & interpretaretur, Verba recole, *Oſtendens,* inquit, *quod auſtero Dei præcepto miſcerent ſeniores æquatam traditionem, id eſt, aggredientes adulteram legem, & contrariam legi, ſicut & Dominus fecit manifeſtum dicens eis, Quare vos tranſgredimini præceptum Dei propter traditionem veſtram? Non ſolum autem per præuaricationem fruſtrati ſunt legem Dei, miſcentes vinum aqua: ſed & ſuam legem è contrario ſtatuerunt, quæ vſq; adhuc Phariſaica vocatur: in qua quædam quidem auferunt, quædam vero addunt, quædam autem quemadmodum volunt, interpretantur.* Ad quam amuſſim ſi examinemus leges, quas Eccleſiaſticas vocant Papiſtæ: nihil eſt ſanè, quod metuamus, ne melior ſit Irenæi contra Phariſæos cauſſa, quam noſtra contra Papiſtas.

XV. Matthæi 7. reprehendi inutilia quædam & friuola: non eam inficias. Sed omnia eſſe inutilia & friuola, quæ ex indifferentibus fiunt neceſſaria, iam præſcripſimus. Præterea, næ illa nulla magis friuola ſunt, quam quæ Eccleſiaſticis iſtis legibus continentur, pro quibus aduerſarij depugnant. De pane Euchariſtico, decidente in terram: de vomitu ſacrificuli poſt communionem: de compoſitione digitorum ad ſignandam crucem: vtrum ſolutum ſit ieiunium, ſi fruſtula cibi ex pridiana cœna dentibus hærentia, forte fortuna demittantur in ſtomachum poſtridie mane, & infinita alia: quibus omnibus peccata multiplicarunt, non leuicula, ſed mortalia: quæ certè ſingula ſi compares, ipſa ſui leuitate & inutilitate, vincant etiam ſextariorum, & calicum ablutiones.

XVI. Denique reprehendi notat quædam bona quidem, ſed prælata tamen legi diuinæ Matth. 24. Sed ne hac quidem parte Phariſaicis legibus, leges iſtæ cedunt Eccleſiaſticæ. Fac enim bonum eſſe cœlibatum presbyterorum, ſed confitetur tamen Bellarminus eſſe iuris humani. Hunc autem cur non prælatum dixero legi diuinæ de matrimonio, ab ijs qui minus peccare diſputent fornicantem presbyterum, quam qui vxorem duxerit?

XVII. Denique congeramus in ſummam. Damnantur humana præcepta contradicentia legi Dei: tum directè, tum indirectè, damnantur friuola, & inutilia: damnantur bona, prælata legi Dei. Quid ſupereſt, quominus omnia damnata dicamus?

---

## CAP. XVI.

### *De libertate Eccleſiæ: & comparatione rituum Iudaicorum cum humanis.*

I. QVintum nunc eſt argumentum. Quæ res nobis liberæ ſunt à Deo relictæ, ijs nulla lex poteſt conſcientiam ſubijcere. At res indifferentes relictæ ſunt nobis à Deo liberæ. Ergo ijs nulla lex poteſt conſcientiam noſtram ſubijcere. Patet maior: quia nulla lex præualere poteſt voluntati diuinæ, nam ſi par in parem nullum habet imperium, quanto minus inferior in ſuperiorem? Minor probatur. Ad Galat.4. *Nempe fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ.* Quinto, *In libertate igitur, qua Chriſtus nos liberauit, perſtate: & ne è contrario implicamini ſeruitutis iugo.* Ad Coloſſ. 2. *Ne quis igitur vos damnet, ob cibum, vel potum, aut reſpectu diei feſti, aut nouiluuij, aut ſabbathorum,* Ad Galat. 5. *Vos ad libertatem vocati eſtis, fra-*

tres

*tres, tantum ne libertatem in occaſionem carni : ſed ex charitate ſeruite alij alijs.*

II. Bellarminus formam vimque argumenti non vidit: locos probantes minorem ſoluit; diſtinguendo quadruplicem libertatem; à ſeruitute peccati, à ſeruitute legis diuinæ moralis, à ſeruitute matrimonialium, & iudicialium præceptorum, ab obedientia prælatorum. Quæ primo eſt, & ſecundo & tertio loco; hanc concedit fidelibus conſtare è Scriptura. Quartam negat: imo contra frequentiſſimè inculcari, vt obedientiam ſuperioribus etiam Ethnicis exhibeamus.

III. Nos fatemur hæc omnia. Sed Sophiſtam negamus argumento ſatisfacere: quia omittat vnum membrum: quo continetur libertas in rerum indifferentium vſu: niſi hanc fortè comprehendat ſub ceremonialib. non inuitis nobis; niſi arctius ceremonialia cenſeat particulatim illa ipſa, quæ Iudæis erant imperata: cum certum ſit non illis tantum, ſed etiam alijs non eſſe liberatos: vt ne mutatum ſit, & non ſublatum iugum. Ideoque nos non tantum ijs diebus, ijsque cibis, quos Iudæi obſeruabant: ſed etiam omnino omnibus eſſe liberatos. Quanquam alia etiam ratio eſt: quia ceremoniæ Iudaicæ nonnihil omnes habebant ſignificationis myſticæ; cuius gratia erant inſtitutæ? ſiue ea mores ſpectaret, ſiue venturum Chriſtum. At indifferentium vſus poteſt coerceri ſimpliciter ex imperio. Nos autem cenſemus Eccleſiam non tantum non detinendam illa myſtagogia: ſed ne grauandam quidem vllo vllius vſus iugo. Itaq; conſultius putamus ſuum huic libertati caput ſeorſim aſſignare.

IV. Quis igitur Bellarmino ſubtilitatis fructus? Aſſeritur libertas à peccato, à lege morali, ceremoniali, iudiciali. Quid tum autem? Ergo non conceditur libertas rerum indifferentium? Quis ſanus admittat? Rurſus prohibetur neglectus obedientiæ Prælatorum. Ergo non conceditur libertas rerum indifferentium, æque friuolum, vt antea ſæpius expoſitum.

V. Sed mentem Apoſtoli facilè eſt percipere ex ep ad Coloſſenſ. Hunc enim de Libertate ſermonem ſic inchoat. *Videte, ne quis ſit qui vos deprædetur per philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Ex quibus quis non videt non agi de lege Moſaica, ſiue ea moralis ſit, ſiue ceremonialis, ſiue iudicialis? Non enim opinor διὰ τῆς φιλοσοφίας illi dicebantur decipere, qui legi conabantur ſubijcere Eccleſiam. Neque rurſus κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων: illi enim vrgebant potius legem Dei Ergo cum prohibuit, ne quis nos iudicet in cibo & potu: non eos intellexit duntaxat vitandos, qui Moſen ingerebant, & vrgebant ſeruitutem, ſiue peccati, ſiue legis moralis, ceremonialis, & iudicialis: ſed longe latius, quicunq; eas imponeret conſcientijs, quæ poſſunt verè appellari παραδόσεις τῶν ἀνθρώπων. Quam partem nos etiam vrgemus hac controuerſia.

VI. Deinde libertas etiam à Ceremonijs legalibus argumentum nobis ſufficit idoneum. Nam ſi liberati ſumus ab ijs quæ erant in vſu ex diſerto Dei mandato: adeo vt quam nefas erat ijs non ſubijci, tam nunc ſit nefas ijs ſeruire: quanto magis nos oportet libertatem noſtram tueri, cũm nihil obtenditur præter humanam autoritatem? Nam & Pauli ea diſputatio eſt eodem ad Coloſſ. capite: vt enim doceat cauendum à deceptione Philoſophiæ, magnificum illud beneficium commemorat, quum Chriſtus condonauit peccata, *Deleto quod aduerſum nos erat rituum chirographo.* Vnde ſtatim concluſio, *Ne quis igitur vos damnet*, & quæ diximus reliqua.

VII. Eſt igitur argumentum noſtrum, quod ſextum Bellarminus numerauit. Si ab omnibus Iudaicis liberauit vos Chriſtus: Ergo multo magis ab omnibus humanis ritibus. Patet antecedens ex iam dictis. Patet cõſequentia: quia ritus Iudaci, erant à Deo imperati. Longe autem Deo ſubijci præſtat, quam homini. Quam vim agnouit Auguſtinus Epiſt. 119. tolerabiliorem pronuncians conditionem Iudæorum, quam Chriſtianorum quibus tam multa imponebantur. Quia hæc, *Ipſam religionem*, inquit, *quã pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſeruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen ſarcinis, nõ humanis præſumptionibus ſubijciuntur.* In quibus Auguſtini verbis duo ſunt manifeſta argumenta: vnum hoc ipſum quo de agimus, à comparatione legis, & traditionum: vnde duriorem conditionem Chriſtianorum concludit, propter inæqualitatem legalium ſarcinarum, & humanarum præſumptionum: quaſi diceret, cæteris paribus, tamen adhuc grauius eſſe iugum humanũ diuino. Alterum à natura religionis Chriſtianæ, quæ huiuſmodi additionibus libertatem amittit, quam Deus voluit conſiſtere in pauciſſimis celebrationum Sacramentis. Vnde quis non videt iudicatam eſſe litem noſtram aduerſum Papiſtas?

VIII. Bellarminus vtrumq; hoc argumentum ſoluere conatur. Et prius quidem illud: Voluiſſe Chriſtum nos eſſe liberos à ceremonialibus præceptis Moſis: quia ceremoniæ eſſent figuræ Teſtamenti Noui: ideoq; ceſſare deberent re præſente. Non ſequi autem nullas debere nos habere Eccleſiaſticas leges, ſi illas Moſis habere non debeamus.

IX. Sed fœdè abutitur ſua autoritate. Neq; enim verum eam eſſe ſolam cauſam abrogatarum Ceremoniarum. Tum enim fateremur infirmum eſſe argumentum. Sed altera cauſa eſt, quam expreſſit Concilium Apoſtolorum, quod onere tanto leuatam Deus Eccleſiam voluerit: *Placuit Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra oneris vobis imponere.* Expreſſit etiam Auguſtinus Chriſtum voluiſſe, quam pauciſſimis celebrationum Sacramentis eſſe liberam Eccleſiam. Itaq; duo attendenda in Ceremonijs Iudaicis: vnum illud eſt, quod Bellarminus ſolum cõmemorandum putauit, quod referrentur in Chriſtum, tanquam figuræ ad figuratum: alterum, quod cõſcientiam onerarent graui multiplicium obſeruationum iugo. Quorum duorum, ſi minus illud, at hoc certè commune eſt ceremonijs Iudaicis & traditionibus hominum. Itaq; conſtat argumentum, ſi onere aliquo premendæ ſunt Chriſtianorum conſcientiæ, longe conſultius ſit iugum Moſaicum redintegrare, quam humanum recens inducere.

X. Ad alterum argumentum reſpondet, ſine comparatione vlla eſſe pauciores & leuiores Pontificias leges legibus Moſaicis. Pauciores quidẽ quia quæ abſolutè impoſitæ ſint omnibus Chriſtianis, vix ſint aliæ, præter feſta, ieiunia, confeſſionem, communionem. Cæteras, vel eſſe admonitiones, non leges, ſine obligatione ad culpam, vt trinam ſalutationem Angelicam, ramum oliuæ in die Palmarum, aſperſionem aquæ luſtralis, tundere pectus tempore ſacrificij. Vel eſſe leges conditionales, impoſitas his qui velint ad ordines admitti, vt cœlibatum: atq; has non grauare Eccleſiam; cum nemo teneatur fieri Clericus, vel Monachus. Vel eſſe regulas præſcriptas ſolis iudicibus Eccleſiaſticis: vel eſſe explicationes dogmatum fidei; aut iuris diuini. Iudaicas autem omnibus & ſingulis Iudæis fuiſſe impoſitas innumerabiles, Purificationes, Sacrificia, Ciborum delectum



XI. Leuiores autem: primo, quia quæ Feſta, Ieiunia, Confeſſionem, Communionem ſpectent, ea ſint potius a determinatione diuina, quam a lege penitus noua. Nimirum, quia iure diuino teneamur aliquod tempus impendere cultui DEI, aliquando ieiunare, confiteri, communicare. Itaq; Pontifices ſolum determinarint tempora. Deinde hæc ipſa determinatio mitiſſimam obligationem habeat. Ad ieiunia non obligantur, niſi qui poſſunt: feſtis etiam non intermittuntur ſeruilia opera, niſi non neceſſaria, vel non vtilia humanis corporibus: Miſſæ qui non interfuit impeditus iuſta cauſſa, non iudicatur deliquiſſe. At Iudæi adeo ſeuerè tenebantur Sabbathis vacare, vt ne ignem quidem accendere poſſent, vel cibos coquere.

XII. At nos dicimus in his variè peccari. Primo, quod multitudo cenſeatur ex ijs duntaxat ritibus, qui ſunt iam autoritate humana inducti. Cũ ſit etiam eorum ratio habenda qui induci poſſunt. Quia enim autoritas vindicatur omnibus Pontificibus leges condendi, tum præſentibus, tum futuris, hinc fit, vt nunquam certum ſit iugum: ſed in perpetuo, vt ita dicã, fluxu; adeo vt obſeruationum cumulo ſemper aliquid & adijci poſſit, & re vera adijciatur; teſte ipſa experientia At Iudæi legem habebant certam; ideoq; rituum numerum definitum Tum autem hæc ipſa autoritas alterum incommodum inducit: quod Poſteriores poſſunt refigere præcedentium leges. Ita nunquam in tuto eſt conſcientia: & fit ſæpè, vt quæ licebant, amplius non liceant, & quæ prohibebantur, ea imperentur. Vnde neceſſe eſt miros naſci conſcientiæ ſcrupulos.

XIII. Secundo, nulla eſt numeroſitatis diminutio, cum nominantur ſumma genera: quomodo hic a Bellarmino, Feſta, Ieiunia, Confeſſio, Communio. Numeroſitas enim eſt in ſingularibus: alioquin ne Iudaici quidem ritus multi poterunt dici, quorum ſumma itidem genera nominari poſſunt: & quidem nominata ſunt à Bellarmino, purificationes, ſacrificia, ciborum delectus. Quod ſi à generibus deuenitur ad indiuidua, non eſt verendum, ne præualeant Iudaici ritus. Nam feſta ſunt & ieiunia, abſq; vlla comparatione, plura Chriſtianorum, quam Iudæorum. Adeo vt de feſtis quidem celebre habeamus Ioan. Monlucij, Epiſcopi Valentini, decretum cap 35. Reformationis Cleri Valent. *Adhæc etiam accidit, quod qui manibus victum ſibi quærere ſolent, in tanto tamq; infinito dierum feſtorum numero, otiari magno ſuo incommodo cogantur, Itaq; auctis hominibus, & multiplicatis, in tam frequenti eſurie, & magna ſui parte labefactata caritate; plures mendici ſint oportet, & qui ſe ſuorumq; vitam aliena ſuſtentent miſericordia.* In Communione, quam ſcrupuloſa ieiunitatis obſeruatio? Nam & horæ, ac fermè momenta numeranda à capto cibo, & in dentes ſingulos inquirendum, ne quid intra eos delituerit carnium, quod in ſtomachum delabatur, & alia non pauca. Tum autem Confeſſionem quis expleſſe poſſit ſibi polliceri? Dicam audacter, ne vniuerſos quidem Moſaicæ legis, adde etiam Iudaicarum traditionum ritus, tanto onere conſcientijs non prophanis fuiſſe moleſtos, prout eſt hæc vna Confeſſionis lex, de qua nos ſuo loco plura dicturi ſumus, Deo dante.

XIV. Tertio importuna eſt diſtinctio eorum rituum, qui omnibus impoſiti ſint, & non omnibus. Nam primo inter Iudæos idem diſcrimen fuit: multi enim ſacerdotibus erant proprij. Deinde omnes Chriſtiani ad Eccleſiam pertinent: ac proinde quæcunq; onera quibuſdam imponuntur, eadem imponuntur Eccleſiæ: ideoq; onus ſempus aggrauant. Et vero cum Papiſtis in vſu ſit frequenti, libertates Eccleſiæ dicere immunitates illas conceſſas ſolis, quos appellant Clericis, cur non poſſimus onera Eccleſiæ nuncupare, quanquam ſolos vexent presbyteros?

XV. Quarto, non illa tantum onera Eccleſiam totam grauant, ſed etiam illa ipſa quæ alijs capitibus voluit diſpatari, ſaltem admonitiones, & explicationes dogmatum. Nam, vt ab his incipiam, nonne vniuerſam Eccleſiam ij grauarunt, vel maximè, qui imaginum vſum, per ſe verè promiſcuum, religioſum fecerunt? qui charitatem in Sanctos, mutarunt in adorationem religioſam, & auxerunt etiam inuocatione? Qui curam pro mortuis tot auxerunt ſollicitudinibus, cum circa corpus, cum circa animam? Vt alia mittam, ex iſtis æſtimanda,

XVI. Sed & ipſæ, illæ, quas admonitionum nomine incruſtant, quid non habent vehementiæ, imo violentiæ, cum ijs additur meriti, imo ſupererogationis opinio, redemptioque a flammis purgatorijs? Aut quis neſcit ſuperſtitionem non minus augeri ſpe, quam metu? Ergo vero nunquam crediderim tanto onere conſcientias preſſas olim fuiſſe Iudæorum, ex ſacrificiorum pro peccatis ſolemnitate, quanto in Papatu anicularum animas opinione illa quam de Agnis Dei, Granis benedictis, Sphærulis precatorijs, imbiberunt, & ſimilibus quiſquilijs. Itaq;, quacunq; tandẽ arte diſſimulentur, hæ ſiue admonitiones, ſiue quid aliud placet nuncupare, immane quantum intendant hanc conſcientiæ carnificinam: & omnes cumulum augeant, vt longè ſit ſupra Iudaicum.

XVII. Sunt-ne ergo ſaltem leuiores? Minimè omnium. Quid tum enim ſi docuit Scriptura, aliquando vacare cultui diuino, ieiunare? An propterea leuior eſt ſarcina feſtorum, ieiuniorum, confeſſionis, communionis? Rectè, ſi nihil additum iuri illi diuino. Sed quis neſcit quanta ſeueritas inducta ſit? Aut quis concedit nihil prohiberi operis neceſſarij, aut vtilis, qui ab Epiſcopo Valent. imo ab experientia didicerit, eos, quos neceſſe eſt manibus victum quæritare, coactos ociari, & redigi ad mendicitatẽ? Aut quis credet, vno aut altero, aut certè tertio die ieiunia, quotannis indicta, nihilo eſſe breuiora, tot vigilijs, quatuor temporibus quadrageſima ferijs ſexta & ſeptima, quibus omnino plus anno dimidio impenditur.

XVIII. Mitiſſima, inquit, obligatio eſt. Hoc videro: ſed interea, cur non onus tamen, cum ſit obligatio, quæ eſſe non debuit? Quantumuis, inquam, mitiſſima ſit, tamen obligatio eſt, & obligatio quæ eſſe non debuit. Itaque onus, & onus iniuſtum. Sed cur mitiſſimam dixeris? Non vetatur opus, niſi non neceſſarium, aut non vtile. Primo id falſum, vt dixi, deinde vetatur opus indifferens, vt exempli gratia, filum tenue de colu deducere: & vetatur ſub pœna peccati mortalis. En tibi legiſlatorum manſuetudi-

nem.) Non tenentur ieiunarē, niſi qui poſſunt. Primo falſum. nam, ſi non iubentur, cur diſpenſatio eſt neceſſaria? Cur atteſtatio Medicorum? cur iuſiurandum? Nam ipſe Valentinus Epiſcopus in Reformatione ſua, cap. 53. etiam Caupones vetat viatoribus carnes dare, vel morbum excuſantibus, niſi excuſatio medici conſilio comprobetur, & Epiſcopi autoritate. Sed præſtat locum deſcribere, *Illud præterea ſtatuimus, ne ijs diebus, quibus ab Eccleſia eſu carnium interdictum eſt, caupones viatoribus carnes, aut dare, aut parare audeant, niſi fortè morbum viatores excuſent: & ea quidem excuſatio medici conſilio, & Epiſcopi autoritate comprobata ſit oportet. Verum quoniam accidit nonnunquam, vt, qui iter faciunt, morbis corripiantur, quorum nulla ſit in vultu prædictio, & ſignificatio, ſintque nihilominus graues, & periculoſi, quibus curandis carnibus veſci neceſſe ſit: tunc caupo medicum accerſendum, & conſulendum curabit: quod ſi deſit medicus, parochus conuocetur. Is vero iurſiurandi religione interpoſita, à diuerſoribus eiuſmodi quæret, eo-ne valetudinis vitio teneantur, vt ſalua & integra valetudine, carnibus abſtinere non poſſint: quibus illud ipſum iureiurando affirmantibus, eo die poteſtatem faciet parochus carnibus vtendi: pauperes ſi qui ſint, illi commendabit.* Et tu mihi occinas non teneri niſi valentes? Et tu mihi hanc obligationem mitiſſimam appelles? Etiam mitiorem dicas, obligatione Moſaica? Tu mihi Communionis ſuperſtitionem leuiſſimam perſuaſeris, quæ mille mihi nodis ieiunium obſtringat, vt nihil ſit tam nihili, quo ingeſto in ſtomachum non ſoluatur? Quæ me tam ſuperſtitioſum faciat, vt tota die non auſim in terram deſpuere, ne mihi meus creator (horreſco referens) exſpuatur, & pedibus conculcandus objiciatur? Hæc mitiſſima, inquam, eſt obligatio?

XIX. Quid ſi addam reliqua, quæ poſſum? Ego ſcio non eſſe nuſquā peregrinationes, quas obire genibus oporteat, & quidem aduerſo montis lapidoſiſſimi cliuo. Alias, pedibus nudis, & ſilentio: alias non tantum nudis pedibus, & ſilentio, ſed etiam depoſitis veſtibus, excepta intima ſubucula linea? Et quidem vt, ſi ſilentium forte fortuna rumpatur, tum infectum ſit quicquid fuit factum, etiam ſi duo tantum treſve eſſent reliqui paſſus. O humanitatem! ô libertatem! ô facilitatem!

XX. Eſt igitur inconcuſſum argumentum. Sed quod Auguſtinum nominauerimus, id ferre non poteſt Bellarminus. Hunc enim non conqueri de ritibus à Pontificibus inſtitutis: ſed de quibuſdam conſuetudinibus particularibus vulgi, & hominum rudium, quæ paulatim obtinent vim legis, & has, quando nimium creſcunt, debere epiſcoporum autoritate tolli. Velle autem omnino ſeruari leges ſtatutas in Concilijs, vel vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine roboratas.

XXI. At nos Auguſtino fuiſſe fatemur paulo aliud quam nobis propoſitum: Sed rationem tamen propoſiti eandem agnoſcimus: neque vero Bellarminus ipſe potuit diſparare. Quis autem prohibuit eadem ratione vti ad diuerſas, modo ne oppoſitas concluſiones? Imo vero ita diuerſas, vt non toto genere, ſed tantum ſecundum plus & minus? Eſto igitur ſanè Auguſtini concluſio noſtra concluſione contractior: nihilominus certum eſt, tum religionem liberam eſſe debere, ideoque pauciſſimis manifeſtiſſimiſque obſeruationibus alligatam, tum ſeruilibus oneribus non preſſam.

*XXII.* Concedo voluiſſe retineri Conciliorum conſtitutiones. Sed obſeruo nihilominus voluiſſe eſſe paucas. Et ſane ita erat tum temporis. Ne milleſima quidem pars inducta quiſquiliarum, quibus poſteriora Concilia delicias ſibi ſuiſque fecerunt. At ille profecto, ſi immanem vidiſſet licentiam, qua abuſi ſunt deinceps Epiſcopi nomine Conciliorum: quis nō diuinet facile, ne hanc quidem tyrannidem fuiſſe toleraturum? Non enim aliter potuiſſet, non concuſſo ſuo fundamento.

*XXIII.* Præterea, duobus maximè capitibus recedit Auguſtinus ab ijs Sophiſtis, quibuſcum nos pugnamus. Primo, conſtitutiones tolerandas putauit, non Epiſcoporum, ſed Conciliorum. At iſti, vix perire velint quæ in ſingulis diœceſibus ſuis ſui Epiſcopi voluerunt obſeruari. Deinde, ſaltem conſuetudini promiſcuæ noluit deferre. At iſti etiam conſuetudinem nobis fontem traditionum indigetant, quæ contineat particulares locorum ritus: cum tamen nullum locum Auguſtinus conſuetudini reliquum fecerit, niſi vniuerſæ Eccleſiæ, id eſt, non tantum per orbem vniuerſum, ſed etiam ab initio: quod neutrum apud Papiſtas obſeruatur. Ad vtros ergo bonus ille Pater accedit propius, noſne, an Papiſtas?

## CAP. XVII.

### *De Dominio in Eccleſia.*

I. SExtum argumentum nobis eſto: Quicunque ius habet ferendi leges ſuas Eccleſiæ, id eſt Dominus Eccleſiæ. At Paſtores non ſunt Eccleſiæ domini. Non habent igitur ius ferendi leges ſuas Eccleſiæ. Ferre autem leges intelligimus, non tantum conſcribere, ſe etiam ſancire, vt vim habeant legis. Itaque magis perſpicua eſt, ab ipſo vſu. Nulla enim reſpublica leges vllas agnouit, niſi ſic latas ab eo, penes quem eſt maieſtas, vel Monarcha, vel Optimatibus, vel Populo, pro varijs Reipublicæ generibus.

II. At probatur aſſumptio, ex Petro, 1. 5. *Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, curam illius agentes, non coactè, ſed libenter, non turpiter affectantes lucrum, ſed prompto animo: neque vt dominantes cleris, ſed vt qui ſitis exemplaria gregis.* Ex Paulo 1 ad Corinth. 7. *Pretio empti eſtis, ne fiatis ſerui hominum.* Poſter. 1. *Non quod dominemur fidei veſtræ, ſed quod adminiſtri ſimus gaudij veſtri.* Matth. vigeſimo, *Scitis principes gentium, in eas dominari, & qui magni ſunt, licentia vti in eos: Verum non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter.*

III. Bellarminus ſolum illum, ex 1. ad Cor. 7. locum finxit videre: & reſpondit, ſolum præcipi, ne ſeruiamus hominibus, præcipuè propter homines, ſed propter Deum, ita vt magis Deo in hominibus, quam ipſis hominibus ſeruiamus, & comparauit cum alio ad Epheſ. 6. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus.*

IV. Verum operam luſit. Quid tum enim, ſi hic vnus locus detorquetur, cum conſtent alij, quibus illud dominium in Eccleſiam deturbatur? Nam hoc ſi nullum eſt, profecto inconcuſſum manet argumentum: cuius id fundamentum eſt.

V. Præterea, vt fatemur ab aliquibus etiam veterum illam aſſignatam fuiſſe Apoſtoli mentem, ſic non debuit Bellarminus diſſimulare, nonnullis eam placuiſſe, quæ nobis potior videtur. Ambroſius certè, *A DEO*, inquit, *empti, id eſt, à Chriſto ſerui hominum eſſe non debent: Serui autem hominum hi ſunt, qui humanis ſe ſubijciunt ſuperſtitionibus.* Quæ verba Lombardus retinuit. Thomas. *Et quia tanto pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum, poſtponendo ſeruitium Dei, & vos humanis ſuperſtitionibus occupando,* Caietanus, *Non de ſeruitute corporis, ſed de ſeruitute animæ ad literam Paulus loquitur. Quod patet ex hoc, quod ſecundum id prohibet fieri ſeruos hominum, ſecundum quod empti ſunt à Chriſto, hoc eſt, ſecundum illam partem, qua ſunt ſerui Chriſti. Conſtat autem quod ſecundum animam ſumus Chriſti ſerui, ſecundum quam nullus ſit ſeruus hominis, niſi qui conſentit homini aduerſus Chriſtum.* Huic Contarenus ſimilis eſt. *Iccirco concludit, Nolite fieri ſerui hominum, ea parte ſcilicet, qua eſtis liberi à peccato, & facti ſerui iuſtitiæ, id eſt, Chriſti.*

VI. Nec ab iſtis valde abit Chryſoſtomus, quique ab eo pendent, Theophylactus, Oecumenius. Nam hi verba Pauli pertinere aſſeuerant ad vtroſque, tum ſeruos, tum liberos. *Et quomodo*, inquit, *quum ſit ſeruus non eſt ſeruus: Quando propter Deum omnia fecerit, quando non ſimulaverit, neque fuerit hypocrita: nec aliquid agat, vt ſeruiat oculis hominum, hoc eſt, hominibus ſeruientem eſſe liberum.* Et hanc partem ſolam Bellarminus ſibi ſumpſit. Sed poſt: *Aut quomodo rurſus quiſpiam quum ſit liber fiat ſeruus? Quando hominibus aliquod malum obit miniſterium:* ὅταν διακονῆται ἀνθρώποις πονηράν τινα διακονίαν: *aut propter ingluuiem, aut propter pecuniæ cupiditatem, aut propter potentiam,* ἢ διὰ δυναστείαν. *Nam qui eſt eiuſmodi, eſt omnibus ſeruilior, etſi ſit liber.* Hæc vero pars, etſi abit a ſuperſtitionibus, tamen pendet ab ea libertate, cui noſtrum innititur argumentum, & longè latius patet priori illa parte, qua Bellarminus fuit contentus.

VII. Porro hanc expoſitionem longè aptius quadrare textui, fit perſpicuum. Quia admonitio communis eſt, cum ſeruis tum liberis, vt notauit Chryſoſtomus. Et vero manifeſta ſunt verba Pauli. Nam primo in præcedentibus, vtrinque admonebantur. *Vnuſquiſque in qua erat vocatione, quum vocatus fuit, in ea maneat. Seruus, quum eſſes, vocatus fuiſti? ne ſit tibi curæ: ſed, ſi potes etiam liber fieri, potius eo vtere. Etenim qui in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus domini eſt: ſimiliter & qui liber quum eſſet, vocatus fuit, ſeruus eſt Chriſti.* Imo, & quæ ſtatim ſequuntur, *vnuſquiſque in eo, in quo erat, quum vocatus fuit, fratres, in hoc maneat apud Deum.* Deinde verba ipſa vniuerſalia ſunt. *Pretio empti eſtis*, ad omnes Corinthios, qui tamen non erant omnes ſerui. Atqui illa admonitio, quæ repetitur ad Epheſios, ad ſolos ſeruos pertinet, non eſt igitur apta huic loco: & Bellarminus diſſimillima comparat.

*FINIS LIBRI DECIMI QVINTI.*